

Andreas Friz

‘Penelope’

Tragoedia
(1761)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Juli 2007

Personae

Ulysses	Rex Ithacae
Penelope	Regina Ithacae
Telemachus	horum filius
Iphicrates	frater Penelopes
Tyndarus	Telemachi comes
Sacerdos	
Pastor	
Virgines	e comitatu Reginæ
Milites	Antinoi, Leucadiae Principis
<Centurio>	
<Decurio>	

Chorus Furiarum

Res agitur ad litus maris inter ipsa sepulcra Regum Ithacae.

Ad laevam exhibendum est quoddam ceteris illustrius et novi operis monumentum cum titulo: ULYSSI PENELOPE.

Prologus

Sacerdos

Hic, quo per Ithacae monumenta Regum et densos frutices ardua ducit via, in summo colle antiqua stat ara Tonanti sacra, in cuius cura summi Sacerdos Iovis longam aetatem exigo. nunquam tam miris, nunquam perplexis adeo se Numen signis mortalibus prodidit, a quo Ulysses patrium linquens solum sacra fecit suprema Iovi. praesensi tunc ego Ulyssis miseri Regis fata. nihil illum aut voces nostrae aut tenerae ac novae coniugis moverunt lacrimae; secutus est, quo eum communis Graeciae vocabat furor, quae suis velut emota sedibus superbo excidium decrevit Ilio. decem annos maior tot Regibus Troia furorem elusit nostrum et in columis stetit ringente Graecia; atque irrita Pelasgi retulissent arma, nisi mens Ulyssis callida et consiliis faecunda suis longis posuisset laboribus finem. eversum est Ilium Ulyssis opera. huic post tot annos partam debet quietem Graecia, post longam militiam laeta revolavit classis. dulces singuli revisunt lares, parentes, liberos, coniuges cupitis dudum amplexibus stringunt; unus Graeciae salutis auctor salute caret. o Rex infelix! infausta Ulyssis domus! redeuntibus ceteris unus Ulysses abest et aeternum aberit, credo. iam alteri decem fluxere anni, ex quo eversum Ilium cineribus iacet sepultum suis, nec Ulyssis vestigium uspiam. ira nempe Veneris immeritum premit, quae mater Aeneae, Helenae pronuba, obnoxia Paridi, inulta spectare noluit suorum damna, quos omnes Troiae involvit fatum. hinc implacabilis Deae in Ulyssem furor, hinc omnem in Laertis domum incubere mala; hinc Ulysses et, quidquid Ulyssis fuerat, clientum Veneris exitium luit. heu! quot iam lacrimis miserae Penelope stetit absentis desiderium coniugis? filius, quem vix a discessu Ulyssis in lucem edidit, restabat unicum afflictæ solatium matri Telemachus. huius in aspectu cari, ut poterat, solabatur iacturam coniugis, et vero refert is forma et dotibus egregiis Patrem. sed - heu! - idem materiam præbuit novam Reginae lacrimis: vix firmorem adolescens aetatem attigit, cum iuvenili in ignotum parentem abreptus studio e matris simu per maria et syrtes longinqua petiti certus aut reperire Patrem aut periculis immori. tertium iam annum abest; misera Penelope lacrimis interea difflit et marito orbata et filio. ad malorum cumulum tot instant proci et Regni et thalami Ulyssis cupidi; illa uxor exemplum piae, horum et artes et minas elusit adhuc fortiter, suo superior sexu. sed vereor, ut malorum torrenti obsistat posthac. horum instinctu populus sponsum diligere sibi Reginam iubet, eundem et Regem Ithacae. haec tandem tristis Penelope illuxit dies, qua proceres delusi toties supremum morae statuere terminum. iussus ego parare victimas, quem sponsum delegerit, ignoro. sed illa iam huc fert gressum paucis comitata Virginibus. remotis ceterum arbitris cum fratre sollicita loquitur. ad aras propero.

Actus primus

Scena prima

Penelope, Iphicrates

- Pen. Num serio id me recepisse putas, Iphicrates?
- Iph. Quidni putem, quando te hisce audii conceptis verbis iurantem Antinoo, Leucadiae Principi?
- Pen. Quid iuravi Antinoo?
- Iph. Hac obtenturum luce cupidam diu Penelopes manum. his fretus verbis, convivia, genialem pompam et ludos apparat.
- Pen. Urnam, exequias et feralem pompam, si saperet, parare debuit Antinous.
- Iph. Heu!
- Pen. Habebit sane, sed non nisi gelidam Penelopes manum. aliam quondam - o frater! - iurata fidem marito dedi, cum novos nos etiamnum coniuges Troiae - heu, lentae nimis! - divulsit fatum. diei illius recordatione deficit animus. care Ulysses! te nova nupta amittere ac pene puella debui! ut eram Telemacho grava, Ulyssem maritum nec dissimulanten lacrimas ad litus flens ipsa consequor, nondum malorum, quae me manebant, conscientia. quoties morantem nostris abripuit amplexibus sociorum turba? velut oculis praesentia haec, frater, habeo; demum, quae nos aeternum divisit, descendens navim ad me conversus iterum, porrigit supremum dexteram, meam iungo; sic muti haeremus ambo. prior tandem ille ac fortior silentium rupit et hanc summa vi stringens manum, ‘Penelope!’, inquit, ‘te, hunc animum et, e nobis quod gestas utero, Ulyssi serva.’ tum ego, quod solum inter singultus tenerum quatientes pectus efferre potui, ‘patrios tibi, vir’, inquam, ‘nunc iuro Deos et nostri praesidem Iunonem thalami, tu primus fuisti et ultimus eris quoque Penelopes amor.’ dixi, Ulyssem a me divellunt socii, navis invito solvit, ego fugientia mariti vela - heu me! - supremum aspicio. et post haec, Iphicrates, iuratos testibus Diis et Iunone thalamos Antinous adeat?
- Iph. Spe vana igitur lactabas miserum!
- Pen. Quid agerem? non vides Antinoum de Ulyssis ac Telemachi reditu spem iam omnem ademisse populo, amicorum favore nixum, sua e Leucadia peregrinum advexit militem, iam suis firmatam copiis tenere Ithacam? reducem atque adeo praesentem populus ni videat Dominum, frustra plebi meliora suadeas. nemo iam sceptrum extorquebit Leucadiae Principi. verbis ille meos expectat nutus, re vero iam tenet omnia. non tam procul Penelopen ambit quam, si de mas titulum, Rex iam Ithacae dominatur Antinous. qui nisi fraude

vim certam arcerem, frater? tot inter procos et Ulyssis thalami et Regni avidos vidua, sola et marito orbata et filio! me inconsultam, quae Telemachum, unicum thalami pignus nostri et aviti spem solam throni, ut parentem per tot pericula quaereret, isto stulta dimisi sinu! temerarii consilii meritum hunc fructum fero, ut marito non caream minus et iisdem fatis obiecti filii desperem reditus.

Iph. Ulyssem periisse, quis sanus dubitet? Telemachi quoque desperas reditum, quem adventurum dixeras?

Pen. Sic spes erat, id certi ferebant nuncii, sed - heu! - aut iam propinquum interceperunt fata, aut certe, ut vides, iam serus advenit. scis populum foeminei impatientem iugi, proceres a me frustrati toties, meum id commentum autumant, eundem volunt, et sponsum deligam mihi et Regem Ithacae. alterum data vetat marito fides, alterum expectatio filii; diem e die duxi adhuc, anxia sperans adventum Telemachi. hic dies morae terminus praefixus tandem, quo populi iussis Regina paream.

Iph. Quid ages? parebis ergo?

Pen. Egone? quid ais? post Ulyssem ut Penelope det alteri manum et superstite forsan filio nunc Regem nominet?

Iph. Quid igitur?

Pen. Moriar.

Iph. Heu! quid ex te audio?

Pen. Decretum est.

Iph. Ne tot malis tuis istud adiicias etiam.

Pen. Non eo res sunt nostrae loco, ut mortem cumulum malorum putem. iactatae, immo naufragae mors portus Penelope, tot dolorum levamen unicum; hac novi Regis aspectum fugio et tot impono timoribus finem, marito iungar denique.

Iph. Cave, ne consilio praecipiti nimium ...

Pen. Praecipiti ais? bis decem, quos coniux abest, spem ac mille timores inter iam annos exigo, tribus desidero errantem filium; illi hanc fidem, huic servavi, dum potui, thronum. nunc ea quando adempta potestas mihi, te in semotum hunc ab arbitris vocavi locum, consilium uti panderem et moritura soror suprema darem mandata fratri.

Iph. Quid si ultra differre nuptias aut spe Telemachi reducis hanc saltem diem concedat populus?

Pen. Quamquam vita mi morte gravior et annos mihi lux quaevis aequet, tolerarem hanc moram causa filii; sed vana spes est. ut suadeas populo, quis ab arrogante hanc veniam speret Antinoo? an moram feret rebus adeo periculosam suis? ille tot artes, tot labores, queis paravit sibi ad thronum iter, patiatur irritos? quo nunc res sunt loco, hodie, vel me invita, concendere volet thronum et poterit Antinous.

Iph. Tentare quid vetat? sed quis advertit gradum?

Pen. O quam molestus interpellator! necdum, quae velim, exposui omnia; mandata tibi nondum suprema dedi!

- Iph. Fallor, an hic Tyndarus, comes Telemachi?
 Pen. Quid ais? Tyndarus? quem filio comitem abeunti dederam?

Scena secunda

Tyndarus *et qui prius*

- Tyn. Ipse est, Regina.
 Pen. Num venit filius? num Telemachus adest?
 Tyn. Heri admodum attigimus portum.
 Pen. Heri? et nondum adest? nondum cupidam amplexus matrem? num ad id tempus durare potuit? veniat, advolet, sibi matrem et Regnum servet.

Ad Iphicratem conversa.

Revixi, Iphicrates; nil iam, mortem meam quod metuas, erit. adventu filii Regem recepit Ithaca; iam nuptiarum, iam diligendi sponsi evanuit causa.

- Tyn. Ah, Regina!
 Pen. Abi, dico, propera. moraris?
 Tyn. Audi modo!
 Pen. Nil audio. tu hoc primum exequere; tum dices, quod libuerit.
 Tyn. Exequerer, si viveret Telemachus.
 Pen. Quid ais? num extinctus filius?
 Tyn. Vixit Telemachus; hisce oculis egomet vidi tenera e cervice revulsum caput.
 Pen. Ah, Iphicrates!

Hic, languens, manu prehendit Iphicratem et illo sustentante in saxo considet.

- Iph. Heu me! soror! an te vox una Tyndari deiiciat adeo?
 Pen. Ah, frater! ... Telemachus periit!
 Iph. Nondum sat explorata omnia.
 Pen. *Ad Tyndarum.* Sicne tu illum tuitus?
 Tyn. Licuisset utinam, Regina, aut salvum reddere filium tibi aut illi commori!
 Pen. Quid tantum in vos deliqui ..., crudeles Dei!
 Iph. *Ad Tyndarum.* Dii te perdant, qui infausto nuncio ...
 Pen. Sine, frater; quod debuit, elocutus est. num matrem celet occasum filii? huc ades, Tyndare! ... infelicitis - heu! - nimium Telemachi mihi letum expedi. ubi? qua causa occubuit? quis hic manum inferre ausus regali iuveni?
 Tyn. Acerbum mihi vulnus renovare iubes, Regina!

- Pen. Tyndare! ne dubita, acerbius id percipere mihi quam tibi eloqui. meus ille sanguis, unica spes et viduae fuit delicum matris, unicum denique pignus et imago Ulyssis mei. heu! quam vultus Patri similis! quam gloriae cupidus, studiosus Patriae! pressae undique Penelope id unum erat in vita reliquum. quam crudum id vulnus mihi accidat, coniicies facile, ... si teneros matris in filium sensus nosti.
- Tyn. Quando ita vis, Regina, rem, ut hisce vidi, eloquar. heri admodum, dum sero vespere attingens portum exscendit navi ... infelicem iuvenem, Regina!
- Pen. Immo infelix ego, quae superstes sum filio. perge, obsecro.
- Tyn. Ignota armatorum turba obtruncavit miserum.
- Pen. Ah! me infelicem! num solus exscendit navi?
- Tyn. Non solus; plures eodem navigio vecti. at dum sarcinas in puppi colligo, Telemachus, impatiens morae, solo cum servo in scapham exscendit, admovendus litora; quo viso, proxima in arena armati advolant. horum unus, ‘heus!’, exclamat, ‘quis novus adventat hospes?’ Telemachum laeti nautae, Telemachum vehimus. laetari videbatur miles adventu Domini; sed aliud latere exitus docuit. simul ac ille exiliens scapha ripam tenuit, improvisus vibrat sicariusensem.
- Pen. Heu!
- Tyn. Caput aufert Regio iuveni.
- Pen. Barbarus!
- Tyn. Procumbit in arena innocuum et - heu! - inultum funus! largo sanguine litus spargitur. milites, ut erat foede cruentatum, in undas propere devolvunt corpus; caput, tam sacrum mihi, infixum hastae et recenti adhuc cruore stillans velut triumphantes auferunt.
- Pen. Iphicrates! emorior! ah, Tyndare! notas tibi ad aras dum sacra perago, portum celer percurre et vicina litora; num quid de filii reliquiis mei ejectum undis, explora sedulo. si qua sors tulerit, in istum refer locum, Maiorum apponenda cineribus. peractis hic te prestolabor sacris. propera.

Scena tertia

Penelope, Iphicrates

- Iph. Eia soror! iustus te dolor occupat, at nil profuturus; vindictam poscit indignum facinus.
- Pen. Quae vindicta, frater?
- Iph. Inultam errare fines Telemachi umbram?
- Pen. An nondum sentis, cuius haec peracta iussu?

- Iph. Video insidiarum auctorem Antinoum et iam ulcisci ardeo, iam ipsum doloris sensum oppressit vindictae studium. nempe adventu Telemachi spem Regni et thalami succidi noluit sibi sacrilegus; parricidio amoliendus erat haeres, securus ut Regnum tyrannus ad-eat. sed non adibit. hanc dextram hodie promitto, soror, Telemachi vindicem.
- Pen. Num infeliciorem me tellus genuit aut Reginam aut coniugem aut matrem!

Scena quarta

Sacerdos *et qui prius*

- Sac. Adsum infelix nuncius, Regina!
- Iph. Heu! quid novae infelicitatis? parce dictis, Sacerdos; sat misera est Penelope, ne novis monstris afflictam terreas.
- Pen. Ah, frater! quidquid id est, non terribit Penelopen. post haec, quae tuli, quae patior, num adiici quidquam grave tot malis potest? Ulyssem amisi dudum, iam filii tristem iacturam facio; quid amittam, nisi infelicem, quam traho, animam? loquere, Sacerdos; obrutus malorum cumulo iam stupuit animus, audiam intrepida, quidquid portendant Superi.
- Sac. Parari quam pro salute Ithacae iussisti victimam, ruptis vinculis nostras effugit manus; occulta vi succussa contremuit tellus, infre-muit lucus. iamiam ruitura metui convulsa templi adyta, insuetus horror invasit artus. haec inter auditae voces imis protrusae adytis.
- Pen. Quae voces?
- Sac. Paucae quidem, at mihi tristes, funestae tibi.
- Pen. Audacter edic: quae illae?
- Sac. IN TUMULO SALUS.
- Pen. In tumulo salus?
- Sac. Ter eadem haec verba meis allapsa auribus.
- Pen. In tumulo salus? ... Sacerdos, confestim redi, novam para victi-mam, iam adero.

Scena quinta

Penelope, Iphicrates

- Pen. Iam mors sola restat, Iphicrates.
- Iph. Heu me!
- Pen. Audisti? IN TUMULO SALUS: in uno mihi tumulo malorum exitus. ad sese Penelopen vocant maritus, filius; eundum est. id laetor iubere manes, quod actura eram vel tacente Numine.
- Iph. Quid moriendo proficias?
- Pen. Salutem invenio, finem malorum.
- Iph. Dum vita superat ...
- Pen. De vita ne verbum ... deliberatum est.
- Iph. Interii!
- Pen. Nunc mandata suprema accipe. ad laevam monumentum vides artifici constructum manu; hoc ego marito, ut potui, absenti quamvis persolvi iusta. amate Ulysses! monumentum tibi uxoris pietas dum domi statuit, te aut pontus habet aut ferarum dentibus ignota in arena disceptus iaces! Iphicrates! tu frigida paullo post sororis ossa collige et, ne totus Ulysses inhonorus iaceat, hoc in monumento colloca. si quando contingat reperiri aliquid Ulyssis cinerum, meis, fac, care frater, iungatur ossibus; viro reddi frigidi quamvis gaudebunt cineres, cui vivo iungi invida negarunt fata!
- Iph. Hac me scilicet causa huc evocasti, soror, hunc ex te ut dolorem acciperem?
- Pen. Tantum est; nec me accusa, sed inimica Ulyssis generi et irata Penelope Numina.
- Iph. Quo te agis? nunquam hodie destituo solam.
- Pen. Tanquam praesentia tua prohibere, quod metuis, possis. mille sunt mortis viae, queis invisae me luci subtraham. elabar, utcunque ad vigilaris; hoc solo fructu: tibi laborem aggravas, dolorem mihi.
- Iph. Per Superos oro! quis locus, quod tempus, quod mortis genus, quod te mihi ...
- Pen. Intelliges, dum redeo.
- Iph. Redibis?
- Pen. Redibo, Iphicrates. arcana, nosti, illo in colle nunc instant sacra, quae ritu patrio solos sibi depositum Reges, remotis arbitris. hic supremum venerata Deos te moritura revisam, frater.
- Iph. Moritura? proh Superum fidem! at saltem miserum solatium non negabis fratri fido, amanti; dum licet, sorori assistam caraem. nondum hic sacer lucus; quod superat viae, patiare comitem; pedem ad usque collis Reges hac sequi nostros nulla religio.
- Pen. Quid proposit pauxillum temporis?

- Iph. Ah, soror! triste tibi dum letum imminet, dum te mihi acerba abripiant fata, non ego momentum omne quantivis redimam?
- Pen. Frater! quantum pro animo hoc in me tuo soror infelix debeo? quam desiderium tui - amate Iphicrates! - iam optatam mihi acerbat mortem? hunc obtestor in sororem extinctam etiam tuere animum, hunc amorem et cineribus conserva meis. si quid nostri post fata superest, grata et amica te semper comitabor umbra. ah!
- Flet.*
- Iph. Soror, vita mi carior ipsa! ... heu! memet constantia deficit.
- Pen. Tempus vocat, Iphicrates. quando ita vis, patiar; sequere, dum licet, sororem infelicem. verum ad pedem sacri consiste collis; ultra gressum proferre nefas.
- Iph. Obtemperabo, ne verere. heu me! cuius non frangat animum sororis conspectus, tam piae, tam infelicitis?

Chorus Virginum

- I. Ite nunc, lacrimae!
 Sinum perfundite!
 Lumina fletibus
 Exesa diffuant!
 Pectora planctibus
 Percussa liveant!
 Heu! flos castimoniae,
 Exemplum vidui
 Regina thalami,
 Heu! decus Ithacae
 Perit Penelope.
- II. Iam, Titan, fulgidos
 Absconde radios!
 Acta formidine
 Lux hinc refugiat!
 Diem caligine
 Nox atra contegat!
 Qua flos castimoniae *etc.*
- III. Non te flebilia
 Ulyssis funera,
 Orcus, exsatiant?
 Nec, Fatum, tenero,
 Quem omnes lugeant,
 Parcis Telemacho?

Et flos castimoniae *etc.*

IV. Nunquam tam tristia
Vidistis funera,
Saxa, quae Regios
Manes concluditis,
Fluctus, qui tumulos
Sacros alluitis!

Heu! flos castimoniae *etc.*

Actus secundus

Scena prima

<Ulysses>

Ulysses, fracto navigio advectus, sese in litus eiicit; ubi procumbens et terram patriam velut complexu stringens, haec loquitur.

Uly. Salve, o salveto mihi terra patria! tandem te teneo, Ithaca! quae, Regem usque fugere visa tuum, post quatuor tandem lustra - heu sera nimium! -, sed vel sic amata, Ulyssem recipis. iam laetus moriar, cum tuo tandem licebit fessa tot laboribus ossa recondere sinu. Penelopen natumque ex hac Telemachum tandem videre dabitur. iam lubens moriar, Superi!

Surgens circumspicit.

Opportune hos ad tumulos arrepta detulit cymba naufragum. et vos salvete, Maiorum cineres, queis filiorum domi pietas isthic monumenta posuit; fruamini quiete, quam felicia vobis dederunt fata, quam vobis Ulysses desperans Patriam invidit adhuc. ... sed quem novus hic tegit lapis? Laertis est, ut video. iaces ergo, amate genitor! nec oculos tuos claudere nec patria componere ossa his manibus licuit amanti filio! hac tamen te parte felicem reproto: tristes Ulyssis tui non audies casus. ... verum hic quid lego? nomen hic meum quoque: ULYSSI PENELOPE; idque in sepulcrali lapide? nomen meum, qui vivo, qui sentio! ... ita est, non fallor: ULYSSI PENELOPE. ... vivo mihi sepulcrum uxor? nempe hoc reduci viro paravit Penelope? ... advenientem hoc hospitium Ulyssem manet? ea causa hostium me tot insidiis, flammae, profundo eripuistis adhuc, Superi? ... sed vel sepulcrum magni muneris instar reproto, quod in Patria ... attamen: Penelope sepulcrum mihi ... nescio, qui sensus hunc subeunt animum? an vani sunt metus, ad quos - heu! - nimium prinos scio amantum animos, an vana suspicor? ... Penelope ferale monumentum mihi? ...

(*Cum vehementia*) aut me extinctum putat aut cupid Penelope. ... sed importuna amantium deliria! quam levi momento agimur! iniurius sim virtuti Penelopes, ingratus Diis, qui, dum ceteris spoliant Ulyssem bonis, una tot aerumnas piae pensant virtute coniugis. quid meorum amplexus moror? quin ad urbem propero? quam expectatus occurram post quatuor demum lustra uxori tenerae, amanti filio?

Scena secunda

Ulysses, Tyndarus

- Tyn. Heus! nondum his locis Regina?
 Uly. Obsecro! num hic locorum uspiam Penelope?
 Tyn. Annua illo in colle vota persolvit Iovi, hac certe via ...
 Uly. Reginam si quaeris, eandem adibam quoque; comitem se iungere
licebit hospiti?
 Tyn. Utinam, amice hospes, commodiori adesses tempore! nunc vereor
...
 Uly. Num quid ...
 Tyn. Vereor, alieno vacare ut possit Penelope, dum - heu! - sponsam ex-
pectat Antinous.
 Uly. Superi! quis Antinous? quam sponsam? (num verus fui?)
 Tyn. Da veniam; Reginam quaero.
Vult discedere, sed vi ab Ulysse retinetur.
 Uly. Non hinc abibis, dum sciam, quod volo.
 Tyn. Heu, quid istud? hospes! Dominae mandata praefero.
 Uly. *Gladio minatur.* Non hinc discedes vivus, expedi.
 Tyn. Haec quidem vis est, inermis ni forem ...
 Uly. Mitte ista. quis Antinous, quam sponsam expectat?
 Tyn. Antinous, Leucadiae Princeps, sponsam Reginam.
 Uly. Quam Reginam?
 Tyn. Nostram, Reginam Ithacae.
 Uly. Penelopen?
 Tyn. Penelopen. sed quid, per Superos!
Attonitus in alterum theatri latus recedit.
 Uly. (Aliis amoribus capta Penelope!)
 Tyn. (Non satis demiror, quid res adeo percellat hospitem.)
 Uly. (Iratae hic Veneris agnosco manum. haec Aeneae filii, haec Paridis
fata sui in hoc uno capite acerba vindicat!)
 Tyn. (Nescio quid huius in intemperie latet?)
 Uly. (Tot annos per terras, per maria Troiae exitium luo; num ad patrios
quoque lares, ad ipsum - heu! - usque thalamum immitis Ulyssem
sequitur furor Deae? tantaene animis irae coelestibus!)
 Tyn. *Ad Ulyssem accedens.* Hospes, nova te res percellit, video, nec iniuria.
sed quid tuum adeo animum ...
 Uly. Mitte haec, obtestor. quando hae nuptiae?
 Tyn. Ah! vel referens cohresco. hodie, hac luce, dum sol medium te-
nebit coelum, geniali pompa decretum tempus.
 Uly. Heu!

- Tyn. Vix oculis, vix auribus hisce fidem habeo; festis plausibus urbs tota personat, reluent aerae, concentus, hilaritas undique, insanit populus, laetis undique vocibus Hymenaeum vocant. Reginam, Antinoi sponsam, hinc urbs iam impatiens expectat reducem.
- Uly. Quid ad haec Telemachus?
- Tyn. Ne hunc in mentem revoca; mitte me, obsecro.
- Uly. Non effugies, per Superos! ni quoque de Telemacho ...
- Tyn. Quid vis? heri obtruncatus ex insidiis.
- Uly. *Cum vehementia et desperatione.* (Interii!)
- Tyn. (Nescio, quid hoc de homine sentiam.)
- Uly. (Heri obtruncatus filius? hodie nuptiae? per nati caedem securos sibi perfida paravit thalamos? ... vicistis, Troiae ultores Dei!)
- Tyn. Hospes! an scire licet, quid te ...
- Uly. Hanc moram, Tyndare!
- Tyn. Heu! tu nomen meum? ...
- Uly. Novi Tyndarum, nota olim tua in Ulyssem fides et amor.
- Tyn. Sterilis fides! Regiis nil iam profutura manibus, infelix amor! in id servatus, Ulyssem uti defleat et tristis spectator cadentem videat Ulyssis domum. (quid agit?)
- Caput detegit Ulysses.*
- Uly. Non vultus ad Troiam olim hic visus tibi?
- Tyn. Superi! an somnio? ... cicatrix eadem, oculi ... et vox propemodum ... sed totus canitie obsitus ... quis color? habitus ... attamen ...
- Uly. Quid haeres?
- Tyn. Proh Iupiter! ipse est.
- Voce destitutus et provolutus repente Ulyssis amplectitur pedes.*
- Uly. Quid est, Tyndare?
- Tyn. Ubi cives! ubi Ithaca! Rex adest! ubi Penelope!
- Uly. Tace per Superum fidem! Tyndare, ne ...
- Tyn. Quid moramur? te ostende populo, Antinous pereat!
- Uly. Quid me is perditum?
- Tyn. Non te perdo, hostes tuos, tui invasorem thalami.
- Uly. Obtempera.
- Tyn. Ah, Rex! quid me vis?
- Uly. Conticesce.
- Tyn. Conticesco. sed quid urbem adire vetet, non video.
- Uly. Non videt Tyndarus; at Ulysses videt. hesterna ais luce ex insidiis oppressum filium?
- Tyn. Infelices hos oculos testes habeo.
- Uly. Hodie parantur nuptiae?
- Tyn. Id quoque.
- Uly. Num, qui praesentem nuptiis noluere filium, maritum ferent?
- Tyn. (Vera memorat.)
- Uly. Non novos putas coniuges intentos habere suorum oculos, ne novos quis amores, impia ne quis novi turbet consilia Regni?

- Tyn. Rem loqueris. heu me incautum! armatus omnes aditus obsidet Antinoi miles. pristinum in te agnosco ingenium, o Rex! totum cetera Ulyssem aetas et aerumnae, omnem hae delerunt Ulyssis speciem, mentem eripere non poterant fata, sagacem, cautam, providam, qua exercitibus potior ...
- Uly. Sat est; nec res haec, Tyndare, nec iste moram patitur iniuria irritatus animus. ad Penelopen.
- Tyn. Ah! obsecro, mi Rex! ne quid durius de illa statuas. quid subsit, ignoro.
- Uly. Mea haec cura erit.
- Tyn. Sat miseram scio; Telemachi certe mortem noluisse credo Penelopen. vidisses ad caedis nuncium exanguem, vix sui compotem.
- Uly. Amice! non raro imbelle pectus facinoris sui horror examinat; quidvis audax suspicere foemina. at molles animos in ipso saepe scelere constantia deficit.
- Tyn. Plus me sapis; at talem Penelopen mi fingere nequeo. ipsas credo has nuptias vacare culpa.
- Uly. Hae nuptiae culpa vacent?
- Tyn. Subesse possunt blanditiae, vis, populi vota, tui reditus desperatio.
- Uly. Quae blanditiae? quae vis tanta, ut post ea, quae toties iurata recepit mihi ... quae tot inter mala solabantur miserum ... heu me! ...
- Tyn. Et sane quatuor lustra tot procis invicta obsttit.
- Uly. At nunc perfida tot annorum corrupit gloriam.
- Abiturus.* Ad Iovis fanum aiebas?
- Tyn. Ah, Rex! vide, ne praecipi facto, quod doleas.
- Uly. Hic me mane, si quid opus.
- Tyn. Miserere coniugis innocentis forsitan!
- Uly. Obtempera.

Scena tertia

Tyndarus

- Tyn. Consilium iusti DEI! quid agit? quid meditatur? miseram Penelopen! iam vel rea si foret, infelcis Reginae miseret. quot fudit pro marito lacrimas? quot procorum insidias tulit, furores populi et minas? tot nunc laborum fructus periit, solae nunc illi restant Ulyssis irae. quam distant primis ultima! heu! par coniugum, quam felix olim, quam nunc deflendum! et illa - heu! - quam brevis felicitas quantis, quam longis nunc pensatur malis? vix novae nuptiae primi delibata coniugii dulcedo fuit, evanuit subito; tristis puellae succedit viduitas, vitae reliquum lacrimae, dolor, aerumnae occupant!

quam non ex aequo haec dividunt mortalibus Numina! dum vix res nobis ostendunt laetas, mox calamitates plena admetiuntur manu. infortunata Reginae virtus! quae, cum in mediis fere consenuisti malis, tristis fortasse nunc cades victima, per quem debebas minime, unice quam amabas! ah! ab illa mors instat tibi, a qua solatum expectabas manu. perdere Penelopen si voluistis, immites Dei, num armanda in miseram coniugis fuit irati dextera? cur in acerbum hoc punctum temporis Regis placuit servare infausti redditum? quo recenti filii sanguine humum patriam tepentem videat, labantem doleat, etiamnum innocuae forsitan, uxoris fidem; hostium demum insidiis oppressus pereat. o dira quavis morte acerbior redditus! ubi spes illae egregiae, quas filii iuventus praebuit? quo fugit ingens gloria, quam Ulysses ingenio meruit, pudicitia Penelope? aeternis ista tenebris hodierna involvet dies! mitiore fato perire meruit Laertis domus! sed hem! quid iam redit Ulysses! quam praecipiti gressu! heu! cum stricto in dextra ferro! nempe id metui! periit Penelope, nullus dubito!

Scena quarta

Tyndarus, Ulysses *cum stricto ense*

- Tyn. Mi Rex!
 Uly. *Ensem indignabundus abiicit.*
 En inutile ferrum, Tyndare!
 Tyn. Rex! quid egisti?
 Uly. Minus atque cuperem.
 Tyn. Heu! quid Regina?
 Uly. Ah, Tyndare! dum densa inter virgulta clam sacro succedo colli,
 conspicio reducem; agnovi vultus, queis - heu! - parum detraxit an-
 norum numerus.
 Tyn. Numquid perfusa lacrimis?
 Uly. Lacrimas vidisse utinam!
 Tyn. At certe moesta?
 Uly. Ne istud quidem, Tyndare! hoc est, quod abiens quaerebam, amice!
 lacrima vel levis illo in vultu moestitiae nota huic aegro suffecisset
 animo.
 Tyn. Quid igitur?
 Uly. Laeta - quis credat! -, hilaris ad pedem collis occurrit fratri.
 Tyn. Heu me!
 Uly. Cupidam vel illa in fronte sponsam legeres et triumphum Antinoi.
 Tyn. (Totus trepido!)

- Uly. Hilarem, serenam frontem explicat, dum Ulyssis thalamum deserit,
dum fallit periura Deos, dum iugulati etiamnum tepe cadaver filii!
- Tyn. Ah, Princeps! sunt suae, quod ipse nosti, sunt suae menti latebrae;
non tam fidelis semper interpres cordis est oris species, fallunt per-
saepe vultus mendaces notae.
- Uly. At raro Ulyssem.
- Tyn. Quid actum igitur?
- Uly. Pudet; ensem stringo ...
- Tyn. Heu!
- Uly. Impetus fuit perfidum illud dilaniare pectus. sed - heu! - vultus
idem, qui cor hoc incendit ira, veteres in immeritam revocavit i-
gnes, amores revexit illos - felices quondam! - verbo. ignava tor-
puit dextera; non tantum animi fuit, Tyndare, ut invaderem illud,
illud ut satis oderim, quo prodor, pectus!
- Tyn. Diis grates! ah, Rex! hos, hos audi teneros animi motus! his ob-
sequere, quos benignus aliquis suggestit Deus! subeant prima illa
coniugii tempora! subeant sincerae lacrimae, queis illa perfudit
olim abeuntis Ulyssis sinum! subeant vidui, quos misera exegit,
sola ac pene puella, dies! quos illa iuravit Deos, et tu iurasti!
meretur si non ad finem constans, diurna saltem fides, curae,
aerumnæ, tua quas causa infelix subiit, merentur iurati Dei, ne in-
auditam plecteres.
- Uly. Tyndare, ah nescis! fortius longe, ac tu possis, hic pro illa perorat
animus. videres hoc cor, amice! Deos testor! hac parte iam vel falli
Ulysses cuperet.
- Tyn. Audire quid prohibet?
- Uly. Adsit, experiar.
- Tyn. Iam aderit. at ne quid ante statuas, omnes quam exploratos habeas
Reginae sensus.
- Uly. Utinam non scrutando detegam, quae ignorarem melius!
- Tyn. Age, mi Rex! ne quid praecipites, ne subitus forsan impetus ...
- Uly. Amice! dum iuvenilis ardor hos animabat artus, Ulyssem nosti?
- Tyn. Qui te non noverim?
- Uly. Num illa iam aetate iram premere, num fraenare impetus, clam
scrutari verum et in locum differre vindictam potuit?
- Tyn. Consilio, artibus hisce, non diffiteor, iuvenis decrepitos longe an-
teibas senes. at nunc infelicitis Reginae causa metuo.
- Uly. At nunc Ulyssis prudentiae metuis? hac aetate, his canis? amice!
melius multo frigidi cineres latentem favillam contegunt.
- Tyn. Superi tibi hanc mentem servent! heu! iam appropinquat Penelope.
quam vereor! Numina! suggerite, infelicem quod Reginam adiuvet,
quod Regem soletur meum.

Scena quinta

Penelope, Iphicrates *et qui prius*

- Pen. Ita est, frater! iam laeta aspiciam Hymenaei faces, geniales cupida subibo aras.
- Uly. (O astra! quid audio!)
- Tyn. (Heu me!)
- Iph. Diis grates, talem qui mihi reddunt Penelopen!
- Tyn. *Accedens ad Reginam.*
Iussu Regina tuo pervestigavi litora, nihil Telemachi uspiam.
- Pen. *Aequanimitatem affectans.*
Nihil? ... (ah!) sic voluere Dei, acquiesco.
- Tyn. Vices tuas, Regina, doleo.
- Pen. Nunc dolorum finis est, Tyndare.
- Tyn. Scio, quam cordi doleat tuo tam cari iactura filii, qui solus miseri Ulyssis fata ...
- Pen. Tristem hanc mitte Ulyssis memoriam.
- Uly. (Nec nomen meum fert, Superi!)
- Pen. (Hic pene dictis suis malefirmum suscepta de constantia deiecit animum.)
- Tyn. Veniam dabis, Regina, si lacrimas non teneo ...
- Pen. Dixi, Tyndare: nolo hanc ultra lacrimis contaminari diem.
- Uly. (Haec Penelope!)
- Tyn. *Ad Ulyssem.* Quiesce, obsecro; recede paullulum.
- Pen. *Ad Ulyssem respiciens.* Quis isthic?
- Tyn. Hospes, ut vides, Regina; te quaerebat.
- Pen. Hanc, hospes, patere moram; sunt cum fratre, quae arcana conferam. post, quid velis, accipiam lubens. ni grave sit, cum Tyndaro in istum interim succede lucum aut maris ad vicinum consiste litus.

Scena sexta

Penelope, Iphicrates

Illa in saxo considet, hic stans Regiae loquitur.

- Pen. Appropinquat sensim hora, nuptiarum decreta pompa; paullo post Antinoo volentem me trades, frater.
- Iph. Sic places.

- Pen. Quid ita, Iphicates?
 Iph. Nempe furores posuere?
 Pen. Posuere.
 Iph. Tranquillus animus?
 Pen. Tranquillus admodum.
 Iph. Immo haud obscura etiam laetitiae signa.
 Pen. Nec fallunt signa, miris cor hoc exultat modis.
 Iph. Quis omnia vos posse neget, benigni Dei! qui tristia tam subito
 mutastis Penelopes consilia?
 Pen. Frater, quae mutata consilia?
 Iph. Adibis aram?
 Pen. Adibo.
 Iph. Et hilaris?
 Pen. Quidni hilaris, quando imminet malorum terminus? en ferrum,
 quod animum hunc - heu! - gravibus nimium exsolvet vinculis.
 Iph. Heu!
 Pen. Accipe: dum geniales ardebunt aerae, Hymenaei festae lucebunt fa-
 cies, dum sublimis tenebo aras spectanda populo, mea dum vota po-
 scet populus, Antinous manum, hoc ferrum pectus transiget, salu-
 tem dabit et gloriam Penelope.
 Iph. Cohorresco. crudele adeo de te dabis spectaculum populo? in temet
 saeva, nil augusta verebere Deorum templa? Numinis adyta, ipsas -
 heu! - sanguine pollues geniales aras?
 Pen. Non respuent, credo, Superi castam victimam. hanc maritus expe-
 ctat, haec populum admiratione rapiet et glriosum matronis dabit
 exemplum posteris. non contaminabit aras sanguis, qui tam purus
 Ulyssi fluet. frater, quid hac morte beatius vita suppeditet? gloria
 umbra Ulyssis et Telemachi iamiam complectar manes. non gau-
 dio, non laetitia exultet animus?
 Iph. Feralis laetitia! laetitiam vocas supremos conatus, queis sese op-
 pressus solari nititur animus, dum cernit ultima?
 Pen. Sine, frater, laetitiam appelle. falli me patere, hoc sorori morienti
 solatium ne, frater, invide; pauca, quae superant, momenta vitae
 tranquilla peragam.
 Iph. Quam funestus mihi hodie illuxit dies!
 Pen. *Surgit, tanquam abitura.*
 Iam tempus imminet, frater; felix vive! aegre a te divellor, id no-
 runt Superi. sed mori iubet data Ulyssi fides et vivae placanda nun-
 quam Penelope Numina.

Scena septima

Ulysses, Tyndarus *et qui prius*

- Tyn. *Ad Ulyssem.* Ah! cave.
- Uly. Discedere non sinam, quin alloquar.
Ad Reginam. Regina.
- Pen. Hospes, paucis expedi; urgent non leves curae.
- Uly. Da veniam; curae, scio, - heu! - graves semper incumbunt Regibus. felices tui similes, ea qui curant, quae orbis celebret. Penelopes nomen tota cantatur Graecia, nec iam nationes barbarae ignorant Ulyssis coniugem. haec me fama Cretam et patrium linquere coegit solum, Reginae ut aspectu fruerer, cuius nomen Graecorum laudes iam astris inserunt.
- Pen. Imbellis scilicet foeminae nomen ut curet Graecia?
- Uly. Ut curet, ais? imbellis foeminae? tuo quae fortior sexu his annis, hac forma, viduum usque servasti thorum? cuius in maritum quamvis extinctum fides nullis labefactari illecebris, nec vi nec minis constantia potuit?
(ad immeritas laudes non erubescit perfida!)
- Pen. *Hilari vultu ad Iphicratem.* Frater, quam me hospitis dicta vel morituram recreant! graves, at non steriles aerumnas tuli, tantam gloriae si messem refero.
- Uly. (Ridet, opinor.) perge, Regina, quam coepisti, virtutis viam; hunc in Ulyssem usque tuere animum et nulla tacebit aetas Penelopes nomen.
- Pen. *Ad Iphicratem.* Magis id dicet, cum morientem viderit.
- Uly. (Quid reponet?)
- Pen. Hospes, ignoras, hoc quantum nuncio malorum memoriam subleves. gloriae cumprimis avida, gratum accipio tam illustre iudicium Graeciae; at etiamnum ignoras, video, hac luce quid paret Ithaca?
- Uly. Quo pacto sciam, nunc qui litus hoc semotum attigi?
- Pen. Opportune admodum; me sequere. videre dabitur, nunquam quod expectabat Graecia.
- Vult discedere, sed audito Ulyssis responso subsistit.*
- Uly. (O impudentem!) Regina sat vidi, in te quando conspexi matronarum decus, constantiae exemplum, fidam Ulyssis viduam.
- Pen. Vidisti Penelopen viduam; et sponsam vide.
- Uly. Sponsam! (dispereo.)
- Pen. Quid stupes?
- Uly. Ludis me, Regina.
- Pen. Hospes, non ludo: iam fumant geniales aerae, expectat populus; illic viduitatis - heu, gravis nimium! - deponam onus, marito iungar.

- Uly. Immortales Dei! quis in hanc te mentem pertraxit infelicem? quis ingessit consilium virtuti, famae, nomini inimicum tuo?
- Pen. Ne erres, nemo pertraxit. meum id consilium; lubens, immo cupida vix horam expecto, viduitatis tristes quae claudat annos. sequere.
- Uly. Nequeo, Regina!
- Pen. Scio, populi plausibus adiunges tuos.
- Uly. Siste Regina, per Superos! virtutem tuam in pectus revoca, famam, immensam toto iam orbe gloriam. ne tot annorum fructus gloriosos perde! Ulyssem metue ab inferis vindicem!
- Pen. Ne metue, gloriae sat consultum est meae. tot annorum aerumnas ponam, non perdam fructus; nec Ulyssis hac parte iudicium metuo.
- Discedit.*
- Uly. *Vehementer.* (Impudens! perdita! Tyndare! heu me! haec feram? haec patiar? toto iam Ulysse opus, ut queam fingere.)
- Reducit Reginam.*
- Siste, Regina; huc redi, obsecro! est quod pandam, quod scire iuvat, in rem tuam quod fuerit maxime.
- Pen. Pro consiliis, hospes, tuis me obstrictam profiteor, te video gloriae studiosum meae. at rei caput ignoras, error subest, verba perdis nil proficientia; a proposito nunquam divellar meo.
- Uly. Erras, Regina. non dehortor, immo pandam, quo cognito laetior adibis aras, securior in sponsi rues amplexus novi.
- Pen. Quid id erit?
- Ad Iphicratem.* Hic praestolare, frater, dum, hospes quid velit, audiam.
- Uly. Si, quae fuit adhuc, mens semper tibi stetisset eadem, non tristi nuncio animi constantiam tentassem tui; nunc quando decresti nuptias, suppedito, quo factum excuses orbi et, criminis expers, secura novo te tradas coniugi.
- Pen. (Quid orditur?)
- Uly. Ulyssem, quod forte nescis, Cretensis nunc tenet Regia.
- Pen. O astra! quid hic memorat? ah! Ulysses superest?
- Uly. Superest; et quod iam factum crimine absolvit tuum: prior fefellit fidem, in Charicleae dudum amplexu haeret, oblitus Ithacae, Penelopes oblitus sua.
- Pen. Facesse hinc, mentiris sacrilege! novi Ulyssis animum, Penelopes ponere non potuit memoriam sua. his te finibus confestim proripe, aut ...
- Uly. Obtempero.
- Pen. At, me miseram! vera si haec forent ... audi ... sed impudentem, mendacem audiam? ... cede hinc.
- Uly. (Fixi telum.)
- Pen. Hospes, huc adsis. finge vera, quae dicis; qui id in animum inducere Ulysses potuit?
- Uly. Mirum, Regina, Charicleae iuventus, forma, comitas irretivere ...
- Pen. Sed quid ego amens hunc ausculto?

- Uly. (Sentiat perfida, violatus quid amor possit.)
 Pen. Haec a fide abducere Ulyssem ut queant? (idne tot annorum constantia meruit, iusti Dei? tot, tam diuturnis conflictari malis, cassis tot suspiriis confici Penelopen suam Ulysses sinat!) tam crudelem Ulyssem credam?
 Uly. Quid te sollicitat mariti fides, omni quae te exsolvit cura? ad aras propera; quod vitio tibi forsitan dedisset orbis, nunc pulcro teges vindictae nomine.
 Pen. Adibo aras; sed adesset ipse spectator utinam! (Ulysses! videres hunc hodie sanguinem, tua qui causa hoc fluet pectore; miseratio, scio, subiret coniugis desertae, miserae.) hospes, obtestor, non pudet Reginam fieri supplicem; num vera memoras?
 Uly. Pro me loquetur, quod mecum gero ...
Penelopes effigiem profert.
 Pen. Heu! effigies haec mea, quam Ulyssi abeunti dederam.
 Uly. Idem reddere me iussit pignus iam inutile.
 Pen. Ah! mori me sentio.
Penelope concidit; Iphicrates, qui paullo remotior interea praestolabatur, accurrit et labentem sustinet.
 Iph. Heu me!
Ad Ulyssem. Quid egisti! numquid novi monstri?
 Pen. Frater! ... deseruisse potuit Ulysses Penelopen!
 Iph. Ah! soror, sine quietos Ulyssis manes ... heu! spiritus deficit miseram, stat gelidus fronte sudor. age, Tyndare! properate, Virgines! vicinum in mapale deferte Dominam! quot dolores parturit haec foeta cruciatibus dies!
Haec dicuntur dum Virgines et Tyndarus in asportanda Regina occupantur.
 Hanc scilicet virtutis, hanc fidei gratiam refertis, Superi! res dum scelestis secundae fluunt, haec, utut exemplum uxorius fidae, amans filii, in vos usque persistat pia, aerumnas has seris etiam aliquando posteris deflendas exigit; nec post tot annorum curas hac vita excdere tranquillam sinitis. quis amplectendam virtutem sibi putabit posthac, cuius tam infelix in Penelope exemplum datis?

Scena octava

Ulysses

Uly. Quid istud? num verus hic amor est an spretae dolor formae, isti familiaris sexui? ... ni expertum toties iam fallant omnia, veri amoris notas illius in vultu legi. ... at ipsa perfidiam confessa suam, se laetam, impatientem morae, vix tempus expectare novis nuptiis ... pereat scelest! ... at meis commentis, malis a me confictis oppressa pereat? ... crudele hoc nimium. videre an funus exangue potero Penelopes meae? ... ah! non iam mea; Antinoi est. ... cur non cor durius mihi dedistis Numina aut fideliores coniugem! quidquid sit: indignum est, mea ut pereat opera; retractabo dicta, fugientem revocabo animam. ... quid ago? Antinoo servabo sponsam? ... heu me! quid agam? quid fugiam, Superi? hic consilium Ulyssem deficit, non satis animi est, ut morientem servem nec mori ut patiar. cara Penelope! Antinoe! quam me in diversum trahunt amor, odium, metus? opem vestram imploro, sacri, haec qui habitatis loca, Maorum manes. ... an Penelopes hic umbram video? an iam fugit amatus spiritus? dolos, commenta exprobrat, queis mortem accersivi miserae. ah! deliria haec sunt. ... heu! quae me caligo? quae umbrae?

Hic atris et densis nubibus theatrum obducitur. Ulysses caligantibus oculis et animo perturbato in proximo considet; dumque sequentem Chorum faciunt Furiae, sese inquietus et velut umbris agitatus in omnem partem versat.

Hunc constituant Furiae, iussis Veneris Ulyssem exagitantes. mox duae e terra erumpunt; deinde plures, ab his evocatae, undique convolant.

Chorus

Prima Furia Insurgat Erebus;
 Agite Furiae,
 Ulyssis funditus
 Domum evertite!

Secunda Furia Doli, suspicio,
 Saevi terrores,
 Livor, ambitio,
 Fraus et timores;
 Curae mordaces,
 Discordiae faces,
 Fuga, cupidines,
 Irae, formidines;

Odia,
 Dubia,
 Amantum deliria;
 Quidquid mortalium
 Corda dilaniat,
 Tortores mentium
 Ulysses sentiat.

Utraque Sic Venus, sic omnium
 Domina imperat,
 Aeneam dum filium,
 Et Troiam vindicat.

Prima Furia Arces Apollinis,
 Excelsum Ilium
 Vertit insidiis
 Inventor fraudium.
 Ithaca trepidet!
 Ultrices Furiae
 Nec, piae quamlibet,
 Parcant Penelope!

Omnes Insurgat Erebus *etc.*
 Ithaca trepidet *etc.*

Absoluto Choro, nubes et Furiae repente evanescunt.

Actus tertius

Scena prima

Ulysses

Velut e somno evigilans circumspicit, incertus, num vera viderit.

Uly. An vera haec? ... quo? ... an vanis terret simulacris mentem agitatus animus? heu! quis aestus! nondum meis satiata malis iniqua Venus? nondum Aeneae, nondum Paridis sat ulta es exitium tui? si crimen est hostes perdidisse Graeciae, meum id crimen; quid Telemachus, quid Penelope commeruit? an nondum satis? omnes iam intus Ulysses sentit, quas Troiae iniecit faces. innocui num Telemachi sanguine placandi erant Paridis impuri manes, et mors Penelopes pensare debuit adulterae supplicium Helenae? tantum potuit implacabilis si furor Deae, ubi vos, Graeciae tutelaria Numina? ubi illi, qui stimulastis miserum, qui in Troiam armati tecum pugnastis, Dei? vestris sub auspiciis, vestro iussu conflagrарunt Pergama; plectitur Ulyssis domus! quidquid cordi huic dulce, rapuistis, crudelis! nil iam, quod flagitem, est, ignava Numina! quod unum Ulyssi solatium super, ab ense petet.

Incumbit ferro, sed a Telemacho retinetur.

Scena secunda

Ulysses, Telemachus

Tel. Quid istud?

Uly. Sine!

Tel. Non patiar.

Extorquet Ulyssi ferrum.

Uly. Iuvenis, quisquis es, si aetatis huius, si annorum miseret, sine hanc efflare animam senem infelicem. crudelis es, quidquid adiicias vitae.

Tel. Quid tantum ...

Uly. Ne quaere. quidquid hominum, quidquid Deorum ira et furor potest, ... hoc cor ... heu me! ...

Tel. Possum scire ...

- Uly. Non potes. huius tormenta pectoris soli norunt, qui immiserunt ista, queis apud inferos iniuriam exprobrabo, Dei.
- Tel. (Hic quidem consiliis opportunus meis.) care senex, quando ...
- Uly. Ne quaere, inquam ...
- Tel. Nil quaero, audi! quando ita est, ut dicis, tantisper confide, ut redeat animus ...
- Uly. Non redibit. moriendum.
- Tel. Ah! ausculta. non id veto, ad certam immo invito mortem; non vivere te iubeo, sed mihi commori.
- Uly. Age ergo, moriamur una.
- Tel. Da pauxillum operam; obruemur telis, nil dubita. magnum meditor et audax facinus. honestius cades et a Superis inibis gratiam.
- Uly. Non ita de me meriti Superi, ut eorum tanti sit gratia.
- Tel. Scin', thronum Ulyssis et thalamum hac luce invasurum Antinoum?
- Uly. Novi et detestor sacrilegum.
- Tel. Eo lubentius me credam tibi. Antinoum ex insidiis invadere decreatum est mihi.
- Uly. Si id agitur, habes obsequentem; nil est, quod malim.
- Tel. Solus ego ...
- Uly. Video, quaeris facinoris socium ...
- Tel. Et vitae quidem contemptorem suaे.
- Uly. Eum reperisti, ut vides. occumbam laetus, iugulato Antinoo. age, nil morandum. diligendus insidiis locus, labor ne cadat irritus.
- Tel. Ignosce, care senex, quod certae hos canos obiiciam neci ...
- Uly. Quin gratum facis.
- Tel. Moriemur ambo. at vindicati Ulyssis thalami manebit gloria.
- Uly. Quam virtutem hanc tuam amo et admiror, iuvenis!
- Tel. Si fors, quod tamen sperare hostium tot manus et tela vetant, si fors redditus hinc salvis detur, paraveris sic mihi thronum tibique proemia.
- Uly. Quid audio, adolescens! thronum paravero tibi? egone hic perduellem opprimam, alteri ut tyranno sternerem ad solium viam?
- Tel. Ne metue; non te sceleris, non ambitionis comitem assumpsi mihi. si hostium nunc daretur vitare gladios, in me non tyrannum, sed a-vito redderes haeredem throno.
- Uly. Superi!
- Tel. Verum, ut vides, nec iusti quamvis affulget spes ulla Regni, glorioseae solum mortis te volo socium. iniuriam ulciscor Patris, matrem in libertatem vindico, tum fortiter cadendo finiam Ulyssis genus.
- Uly. Quid tu mihi?
- Tel. Ne pudeat, carum caput: Telemachum ducem sequeris, Laertis domus stirpem ultimam, Ulyssis filium. eamus.
- Uly. Aeterna Numin! hic sit Telemachus!
- Tel. Ne dubita. aut tanta pudet auspicia sequi?
- Uly. Ah! non pudet.

- Tel. Aut vera locutum dubitas?
- Uly. Non dubito, Superi! plus ceteris videre assuetus argumenta in te cerno, quae dicta comprobent. animus in te vulgari maior, de Ulyssis thalamo, de Penelope tibi cura est, tenero filii quam privati civis amori propior. aetas congruit. oculi Patris ingenium ostentant et vultus matrem. at ignosce, in re tanta si haereum. quod aiunt, heri admodum ...
- Tel. Video, quid erres: heri ad litus delatum in insidias, obtruncatum Telemachum.
- Uly. Id ipsum.
- Tel. Per hanc curam quieto sis animo, salvum vides; sequere.
- Uly. Non, per Superos! hoc non dimovebor loco, ni singula, ut sunt ...
- Tel. Fors iam ad aras novi coniuges ...
- Uly. Non est quod metuas. hic Penelope in proximo, quod exploratum habeo. redibit aegre, scio, aut istud certe tenebit iter.
- Tel. Me miserum! sic habe. tres annos per maria et terras infortunatum casso labore vestigo Patrem. tristis dum revertor Ithacam, occurrit illud: fluxa primorum fides, incerta populi; sexus haec inter infirior matris, procorum numerus. quid non aut cupiditas aut ambitio magnatum possit aut amor impotens? quid si res mutatae domi? Ulyssis filium pericula maneant, non expectata, reducem?
- Uly. (Dignum id dubium Ulyssis filio!)
- Tel. Quid multa, sero appulsus vespere, e navi consendens scapham, idoneo vestimenta servo raptim iniicio mea, illius sumo; praecedat iubeo. demum: dubia lux, ornatus, corporis non impar habitus sicularios fallit, pro Telemacho obtruncant servum. per undas et caliginem in litus enato, semota in casa, mentitus naufragum, exegi noctem; Reginae hic nuptias audio.
- Uly. Sat habeo. agnosco sagacem, promptam, providam Ulyssis indolem; qua ille tot aliis, qua toti consuluit Graeciae, uni - heu! - sibi invidiam peperit et Deorum odia.
- Tel. Iam sequere.
- Uly. Ah, Telemache! Superi avertant malum, tantum te in discriminem abire ut patiar!
- Tel. Quid ita?
- Uly. Tu modo in tuto sis, Telemache! inveniam ad thronum iter tibi ... heu! ... quis inter dumeta? fuge ... quivis nunc aurae motus hoc pectus succutit, dum tu in discriminine.
- Tel. Num insanis?
- Uly. Non insanio! magnum est, quod aperiam; nunc prima sit salutis cura.

Scena tertia

Ulysses, Telemachus, Tyndarus

- Tyn. O Rex! propera!
- Uly. Ah! tune es, Tyndare? revixi ...
- Tyn. Reginam servare, si velis, potes.
- Uly. Ah! quid Regina?
- Ostendit Telemachum.*
- Vides?
- Tyn. Heu! vivit Telemachus? ignosce, credebam ...
- Uly. Errorem scio; prima nunc sit filii servandi cura.
- Circumspicit sollicitus.*
- Tel. *Ad Tyndarum.* Quid? huius ego filius? hic Ulysses?
- Tyn. Ulysses est, o Princeps!
- Uly. Ita est, fili. ego, quem tu quaerebas, qui te ... o Numina! ...
- Tel. Genitor, quam insperata ...
- Uly. Ignosce, fili! nunc te in tuto collocem, infida isthic omnia; teneros amplexus - ah! - in meliora cogor servare tempora.
- Circumspicit, ut prius.*
- Tel. Vix compos mei, Tyndare ...
- Tyn. O si properaret parens! matri tuae iam metuo, o Princeps!
- Uly. Reperi.
- Tyn. *Velut abducturus Telemachum.*
- Hunc ego ad Reginam interim.
- Uly. *Cum vehementia, et Telemachum retinens.*
- Non! tot insidias inter natum a me divelli non patiar, Tyndare. quin hunc una revolve lapidem.
- Nempe novi sepulcri, de quo supra.*
- Tyn. (O miseram illam!) obtempero.
- Uly. Telemache! vires iunge.
- Revolvunt lapidem.*
- Huc succede, fili!
- Tel. Genitor ...
- Uly. Quid retro fugis? haud omen metue: inane monumentum vides, meis destinatum ossibus, nullo etiamnum contactum funere. felices omina metuant! nostra quamvis salutis spem arripere fortuna iubet.
- Tel. Genitor! ignavas quid offers mihi sepulcri tenebras? liceat mihi adversam tecum fortunam vincere aut tecum emori.

- Uly. Ah, fili! inermis quid poterit virtus? tu notus omnibus, insidiae undique, amici nulli. arte opus est, quando nullum fortuna linquit virtuti locum. me in exitium morando pertrahis.
- Tel. Si ita vis, genitor ...
Sepulcrum ingreditur.
- Uly. Ne moras necte, fili! conatus meos si fata iuverint, Patris conscendes solium; sin minus, habes sepulcrum. lapidem resume, Tyndare.
- Tyn. Et lubens quidem, ad Reginam ut aliquando tandem ...
Lapidem reponunt.
- Uly. Da operam, ne quis amotum sentiat.
Tyn. Ne suspicabitur quidem, ita ostio ad amussim incubat.

Scena quarta

Ulysses, Tyndarus

- Uly. Heu, quanta mihi saxum hoc tegit, Tyndare!
- Tyn. Iam alia servanda restant illic.
- Uly. Ah, amice! omnes hoc uno conduntur Ulyssis opes.
- Tyn. Heu me!
- Uly. Quisquis placatior ille est, qui tandem aerumnis meis tangi videtur
Deus, huc adsit! illi sacrum hunc volo lapidem; suum hic tueatur
donum. frustra reddiderit filium, si maiores in luctus mi rapi sineret
tam carum pignus. o pii Maiorum manes! si quis vobis post vitam
sensus, istos - heu - custodite aditus! tot Regum nepos, vester hic
sanguis latet. si vos cessatis, cui se concredat pressum undique
Ulyssis genus?
- Tyn. Regina, o Princeps!
- Uly. Iam quid de Regina, Tyndare?
- Tyn. Omnia - heu - mulierum quae vivunt miserrima! accelera, o Rex!
verbo servare potes coniugem infortunatam. ah! ah!
- Plorat.*
- Uly. At Tyndare, hac cura dignam putas, infidam illam, oblitam nostri?
- Tyn. Ah! non infidam dices, si vidisses, si audisses, quae videre, quae
audire iam contigit mihi. heu me!
- Uly. Loquere, amice.
- Tyn. O, si queam! Reginam dictis prostratam tuis, hinc nostris manibus
ablatam nости. ablatam humili, proxima quod casa praebuit, im-
ponimus strato. funus dixisses; ita exanguis iacuit, gelida, omnis
iam sensus expers, acerbi doloris miserabilis victima. attamen, post

longas Virginum certatim curas tenuis tandem visus redire spiritus,
 certiora sensim prodi indicia vitae; ac demum, alto veluti excita so-
 mno, languida circumfert lumina. me forte intuens, attonitam in me
 uno defigit aciem: ego vix compos mei, quid me velit, sollicitus ad-
 moveor lecto; illa meo in obtutu haeret. tum, velut hinc doloris ad-
 monita sui, in lacrimas repente solvitur, per genas et niveos sinus
 tristes decurrunt rivi, imo e pectore gravi succedunt suspiria nisu.
 saepius conata loqui; sed fessa et tremula officium negabant labia,
 singultus crebris pulsibus intercludebant vocem. mihi dolor, mise-
 ratio et lacrimabilis, tam carae mihi, Reginae species consilium ac
 vocem eripit; ipse suffusus lacrimis et consilii egens inutilis adsto.
 cum primus sese effudisset dolor et rariores iam darent singultus
 spatium, emortua, qua licuit, voce sic orsa loqui:

‘morior, at - heu! - non Ulyssis uxor. et repudiata morior et ab
 Ulysse abiecta meo. Tyndare! quam nunc aegre hanc lucem desero!
 non vitae studio, quam, morte acerbiorem experta, duxi, sed disce-
 dendum, Tyndare! dum superest ille, quin illum his oculis videam,
 cui uni vixi, cuius solius causa tot annos, tot inter aerumnas vivere
 sustinui adhuc. Tyndare! quando hic te unum novi, Ulysses cui fi-
 dem habeat, - o carum caput! - supremum ne officium nega Regi-
 nae morienti.’ tum ego omnes testatus Deos facturum, quae posce-
 ret. ‘en’, inquit et grave ac triste suspirium duxit, quo iamiam op-
 primendam credidi. ‘en!’, inquit, ‘Cretensi in aula Ulysses degit; il-
 luc, ne grave sit, verba suprema perfer morientis Penelopes.’ iam
 ima in praecordia mi fugerat sanguis. pergit: ‘non illi novos amores
 exprobろ; vivat diu felix et contentus illa, uxori quam praeferre
 placuit infelici quidem, at fidae, at constanti! dic, quae hic vides o-
 mnia, dic me non Regio in thalamo, non mea in aula, sed humili
 super tugurii strato efflasse animam tam innocuam, tam Ulyssis
 amantem. dic mortis genus miserabile, gemitus illuc meos et su-
 spiria perfer. o utinam adesset ipse! utinam, tu qualem me vides,
 videret ille! si non amaret, misereretur saltem Penelopes aliquando
 suaे.’ hic fatigata et anhelans substitit. post paullo, quas poterat,
 collegit vires ...

- Uly. Sat est. ad illam me deduc; ubi tugurium?
 Tyn. Hic viciniae. videbis; et plura longe, dicere quam potui tibi.
 Uly. Sed, Tyndare!
 Tyn. Etiamnum dubitas?
 Uly. Filium hic destituam?
 Tyn. Quis in tumulo Telemachum quaeret?
 Uly. Amice! ipse ego ad Troiam e Patris monumento frustra latentem
 Hectoris protraxi filium; mea exempla metuo. subvenire quam cu-
 perem coniugi! sed retinet filius. tu, quantum licet, sustenta mise-
 ram.
 Tyn. Id feci, ut potui; quin metuo, mi Rex, ne quid peccarim.
 Uly. Quid illud? expedi.

- Tyn. Dum illa, ut dixi, colligeret vires, de Antinoo, de hodiernis quae-dam nuptiis instituit loqui.
- Uly. Hoc est, quod dudum expecto. edic, credam omnia, modo sit ali-
quid.
- Tyn. Ut erant in morte natantes, ad me convertit oculos, voce iam mul-
tum et viribus fractior. crebros inter morientis anhelitus, ‘accipe’,
inquit, ‘Tyndare, quod suprema inter suspiria queror! destinatas
hodie cum Antinoo nuptias nosti?’ affirmo. ‘dic Ulyssi, quod ca-
lamitoso hoc rerum statu mi dolet maxime et quod apud umbras
aeternum conquerar, id esse unum, quod Parcae - gloriae meae,
heu, nimium invidiae! -, quod nec tantum vitae temporis dederunt
ferales Deae, geniales illas ut aras subeam.’ plura, sed interrupto et
fracto spiritu locuta, seu loqui conata potius, at non intellecta mihi.
Ah, Tyndare! haec scire intererat maxime.
- Tyn. Potuissest utinam! sed vox sensim et spiritus defecit miseram. de-
mum conatu velut ultimo, toto succussa corpore, caligantibus ocu-
lis quaerit lucem; ‘care Ulysses!’, inquit et moveri desiit.
- Uly. Extincta est! interii, Tyndare!
- Tyn. Non, Princeps. ego, quod dolor, at ignosce, quod dolor, quod de-
speratio suggessit consilium, ‘adest Ulysses’, clamo et fugientem
revocavi animam.
- Uly. Heu! quid egisti?
- Tyn. Ignosce, inquam. falsa esse clamo, quidquid retulerit hospes, non
Cretae Ulyssem degere, non repudiasse coniugem, immo adesse
Ithacae, non Penelopes contemni effigiem, nullam esse illa Creten-
si in aula pellicem, conficta omnia.
- Uly. Tyndare! haec tu ausus?
- Tyn. Quid eo in articulo agerem? peribat, ni facerem.
- Uly. Tune Ulyssem prodere, amice?
- Tyn. Non te prodidi, o Rex! te hospitem etiamnum putat; id solum, ad-
esse Ulyssem, affirmabam miserae et conficta, quae dixeras, o-
mnia.
- Uly. Nec istud tot inter insidias periculo vacat.
- Tyn. Da veniam ...
- Uly. A quo te accepisse ista, quem dictis auctorem ferebas tuis?
- Tyn. Neminem. vix dum recepto spiritu, nec vires, queis ista quaereret,
suppetebant languidae neque tempus; nam simul ac sensi sopitam
redire animam, mox huc me proripui, per te citius verbis meis ut
fidem adferam, salutem illi.
- Uly. Ut licet, reparandus error.
- Tyn. Ah! age, Princeps! heu! quo meam hanc cunctionem animo et
moras in rebus tam afflictis Regina feret? sed heu! quid pastor ci-
tato cursu?
- Uly. Quis pastor?
- Tyn. Casae illius incola. fors tristem hic mortis nuncium ...

Scena quinta

Pastor, Ulysses, Tyndarus

- Past. Tyndare, quid - per Superos! - hic otiosa Reginam mora ad desperationem et mortem adigis?
- Tyn. Heu!
- Past. Vix te absente sibimet redditia, te clamat, tuum anxia suspirat reditum, iam se deceptam queritur, iam rursus Tyndarum impatiens vocat; non lectus, non situs placet, nil audit misera. iam Virginum fugisset manus, vires et corpus aegrum vigori si responderent impatiens animi.
- Tyn. Ah! mox adero, nondum perfecta, quae volui, omnia.
- Past. Ne cuncteris, obtestor: hanc tene semitam, hac reperies in via ...
- Tyn. Superi! in via Penelopen?
- Past. In via inquam: huc deduci voluit, obsequendum erat. iam complorantium Virginum suffulta manibus huc aegre molitur gressum; nihil audit, dum te reperiatur.
- Tyn. Ah, amice!
- Past. En, iam eam vides: illic sub fago lassa interquiescit turba. sed quaeso, ubi Ulysses est? Regem adventantem videre gestio.
- Tyn. Quid tibi in mentem de Rege?
- Past. Non te id Reginae affirmantem audii, Regem adesse nostrum?
- Tyn. Verum id quidem ... at ubi locorum, nondum comperi.
- Past. In urbe igitur ...
- Tyn. Ne, per omnes te Deos oro! ... nemo in urbe adhuc de Ulysse quidpiam.
- Past. Eius adventum ais ignorare cives?
- Tyn. Immo ne suspicantur quidem.
- Past. Propere igitur nunciandum populo tantum gaudium.
- Tyn. Ah! populo.
- Pastorem vult retinere.*
- Uly. Sine illum.
- Past. Nunquam impetrabis, quin primus feram laetum nuncium.
- Tyn. Amice! ne ...

Scena sexta

Ulysses, Tyndarus

- Uly. Mitte illum.
- Tyn. At res vulgabitur.
- Uly. Vulgetur iam, per me licet.
- Tyn. Hem! et me reprehenderas antea.
- Uly. Reprehendi, dum re etiamnum integra meus hic tegi commode adventus potuit; nunc, quando vel ipsum celandi studium Ulyssem proderet, fama, cohibere quam nequeo, in meum vertenda commodum.
- Tyn. Mox ad omnes pervolabit fama.
- Uly. Et simul populi prodet in Ulyssem animum.
- Tyn. At si quae de te suspicio inimicos subeat?
- Uly. Id ipsum ago, suspicionem ut eximam. iam, quantum potes, urnam fac aliquam his e tumulis ...
- Tyn. Quid meditaris?
- Uly. Urnam volo.
- Tyn. Collapso hic in monumento veteri plures in promptu vides.
- Uly. Age, huc aliquam.
- Tyn. Haec Agathoclis est.
- Uly. Aliam praeve, nullo insignem nomine.
- Tyn. Haec titulo caret.
- Uly. Recte, iam ad Reginam propera.
- Tyn. Te venturum nunciem?
- Uly. Cave, qui sim, retegas. nondum hospitis personam pono.
- Tyn. Nondum?
- Uly. Confirm, quae dixisti omnia.
- Tyn. At non iam meis acquiescat dictis, ni argumentum et testem adferam.
- Uly. Me testem dicito.
- Tyn. Te?
- Uly. Me ipsum. me dicta retractasse omnia, me Ulyssem scire, mecum advenisse Ithacam.
- Tyn. Propero.
- Uly. Heus! eam in via tantisper retine.
- Tyn. Faxo.
- Uly. At ne me illi aperias, vide! nondum me credere Penelope tutum satis.
- Tyn. O deflendam Penelopen! cuius nec lacrimae nec morientis verba fidem sat certam facere marito possunt.

Discedit.

Uly. Plus fidei reperiunt illa, quam tu autumas. at, Telemachum dum salvum videam, certiora postulo. donec dubium vel leve super, quam arduum est hoc caput prodere, a quo unius et vix reperti filii dependet salus!

Intervallum sequens peculiarem Chorum non habet; sed pro more concentu musico expletur. interea Ulysses prope monumentum suum considerat, stilum cum tabellis profert, quas iam abiicit, iam resumit; demum absolutam epistolam obsignat et Actum sequentem incipit.

Actus quartus

Scena prima

Ulysses

Uly. Ignosce - cara Penelope! -, si tibi, ut iam credo, innocuae novos nunc luctus creo ... quam aegre adducor! ... at vix heri Telemachus evasit gladios. ... an Penelope illas in nos armavit manus, o fili? tam impiam non credo aut uxorem aut matrem. ... sed nec nuper Agamemnon credidit et iam apud inferos gemitibus, at seris, damnat barbarae perfidiam coniugis. num argumenta desunt mihi? dum me submersum credebat ponto, laeta, hilaris, nil nisi nuptias et geniales aras spirare visa est; iam contra dum in Creta vivere maritum dixi, tunc demum laetitiam exceptit dolor, tunc pallor, lacrimae, propinqua mors, plena fidei ac amoris verba. quid, timoris effectus si forent isti? ultorem e Creta Ulyssem si timuit mulier? quid si solos, inermes viderit, decedat timor, nos, o nate! Antinoo ... sed omen avertant Superi! ... non coniugis virtutem in dubium voco; attamen si fallor, perit iste. ... decretum est. permitte - o cara! -, tuum his literis pertentem animum. hoc patere causa filii. quam securus in illos me coniicerem sinus? sed dum de filii salute agitur, ignosce: coniugem non minus amo, sed metuo feminam.

Scena secunda

Ulysses, Tyndarus

Tyn. Princeps, retineri diutius Regina nequit. vix te adduxi testem, novas amor et desiderium suggessit vires, huc properat.
Uly. Num me noscit?
Tyn. Ne metue. a te, ut dixi, concio demonstrari sibi Ulyssem postulat.
Uly. Adsit modo.
Tyn. En illam.
Uly. (O nate! quos non tui causa cruciatus subeo et matrem subire cogam forsitan innocentem?)

Scena tertia

Penelope et qui prius

- Pen. *Lacrimis perfusa et Virginum manibus suffulta.*
 Agite, ducite, ferte corpus hoc inutile. ... quae via potior? hac?
 illac? ah, Tyndare! tene video? quas tu moras? an nondum repertus
 hospes?
- Tyn. *Ulyssem designat.*
 En, habes - Regina! -, quem ...
- Pen. *Ad Ulyssem.* O me felicem! sine, tuos amplectar pedes, o praesidium,
 salus mea! iam Ulyssem mi redde meum! ubi locorum latet? id do-
 ce, eo deduc, rape miseram.
- Uly. (Heu me!) Regina, parce temerario, vanis qui ausus commentis an-
 tea ...
- Pen. Parco lubens, ignosco omnia, Ulyssem dum reddas mihi. visus ille
 has abstergere lacrimas; iniuriae, malorum delere memoriam uno
 temporis puncto potest.
- Uly. Ignosce; diem genialem tibi tristi verebar funestare nuncio.
 Funestare? me miseram! Ulyssis adventus Penelope funestet diem?
 num te laeta finxisse putas? ah! si scires, quae nunc perpessa. hor-
 reo, vel meminisse ... sed Diis grates, qui in melius verterunt o-
 mnia. hospes! ne mea differ gaudia; sat dolorum inflixisti adhuc.
 longiores cruciatus nec ferre potest nec meretur hic animus.
- Dum Ulysses avertendo vultum lacrimas sibi obortas dissimulare nititur.*
- Uly. Ah! quid avertis ora? vis ad pedes iterum tuos? ...
 Non, Regina; non tua postulo differre gaudia, quin vereor, ne novo
 luctu tot mala cumulem.
- Pen. Ah! quid ais? aenigmata loqueris: novos Penelope luctus Ulysses
 ferat? non vanum ais de Creta et Cretensi commentum pellice?
- Uly. Aio.
- Pen. Tecum delatum Ithacam, hic locorum esse, te scire illum?
- Uly. Mecum attuli, adest et, si scire cupis: hac in urna Ulysses latet.
- Pen. Aeterni Dei! hospes!
- Perculsa in Virginum manus recidit.*
- Uly. Id est, Regina, quod metueram ...
- Pen. *Sedens.* Ah! sine paullisper. ... anime mi! ne succumbe; pauxillum
 restat, venturae te serva gloriae. ... non longa mora est: iam glori-
 osa te mors Ulyssi iunget. ... ah! obtestor, urnam illam his concede
 manibus: sustentabit paullisper labantem animum vel extinti prae-
 sentia coniugis.
- Accipiens. Sed non me fallis iterum, care hospes?

- Uly. Nullam verbis meis iam fidem postulo; pro me Ulyssis loquatur signum et morientis manus.
Epistolam, paullo ante scriptam, Reginae tradit.
- Pen. Hei mihi! vera memorat: Ulyssis signum est, ipsius - heu! - manus quoque. quid scribit?
Dum legit Penelope.
- Uly. Id ignoro. consignavit moriturus istas et imagini tuae et suis iunctas cineribus Penelope reddi tabellas voluit. promisi. habes omnia, datum amico Regi exsolvo fidem.
- Pen. Quid tibi nominis, o hospes?
- Uly. Philocles.
- Pen. *Epistolam inspicit, num dictis consentiat.*
- Idem est. quo loco infelix efflavit animam?
- Uly. Trinacriae desertum litus exceperat naufragum, me solo fortunae comite.
- Pen. *Ut prius.* Consentunt omnia.
Amplexitur urnam ante se positam.
- Ulysses, Ulysses isthic. o monumentum hominum, quos tellus habuit, mihi carissimi! o viri residuum mei! quam diversa speravi olim! non qualem a me dimisi - heu! -, nunc recipio! aridum nunc teneo et inanem cinerem. at tunc discesseras animo, forma, robore secundus nemini et eloquio princeps et primum Graia inter ingenia lumen, spes armatae Graeciae, celso formidandus Ilio. cur te dimisi, cur non retinui, quidquid moveret Graecia? non deserta in arena neglectus tam pulcrum efflasses animam patriis procul focus, procul amata coniuge. neque oculos tuos claudere his digitis licuit nec digno carum corpus imponere lacrimis perfusum rogo; sed aliena misera compositus manu, angusta in urna pondus exile redi! hicne de capta tibi triumphus Troia? o me infelicem! o spes inanes! o adhuc inutiles de te curae! perditae tot mihi annorum lacrimae! tecum mihi hodie perierte omnia. senex dudum Laertes obiit, extinctus modo filius; tu denique crudeli raptus turbine! nullus iam est Ulysses! gaudebunt hostes, ridebunt proci. ubi illi redditus nuncii, qui promitterebant vindicem, qui hunc identidem lactabant animum? sed adversum mihi tibique Numen succidit omnia, cupito quod pro coniuge favillam remittit tenuem et inanem Ulyssis umbram. heu me! heu me! o tristes reliquiae! ah! ah! infelicitissimam!
- Uly. (Tenere me nequeo, retegendum arcanum.)
- Pen. O inauspicatae - vae, vae mihi!
- Uly. Non ...
- Pen. O inauspicatae belli Troiani faces! quas sequebare, me ut perderes. perdidisti me tunc sane, coniux amate! iam ergo in tua mi saltem urna concede locum, ut tecum hic evanida, ut tenuis tecum hic ci-

nis habitem. quando vivos inter adversae tuae particeps semper fortunae fui, nec a tuo moriens seiungar tumulo.

Uly. Sat iam inanibus cineres rigasti lacrimis, Regina! urnam secura pone.

Pen. Non per Superos, care hospes!

Arctius stringit urnam.

Non hos ego cineres viva dimittam sinu.

Uly. Dicam, quod absterget lacrimas ...

Scena quarta

Pastor *et qui prius*

Past. Regina! Regem, per Superos, serva!

Pen. Heu! quem Regem?

Past. Ulyssem, quem Tyndarus adesse dixerat, quem illic promiserat tibi.

Uly. (Quid istud?)

Pen. Ah! nil iam Ulysses metuit.

Past. Heu! crede mihi, non vacat res periculo.

Pen. Me miseram! fors et cineres hos invident mihi?

Past. Ad istum usque lucum effusus populus tuum expectat redditum.

Pen. Num adeo Ulyssi inimicus quoque populus?

Past. Non inimicus Ulyssi populus; amat immo Regis memoriam sui. audi modo: a te discedens vicinae hic plebi laetum retuli de Ulysse nuncium, mox increbuit rumor, nec iam obscuris vocibus inexpectatum sese prodebat gaudium. fors rem intelligit Antinoi miles: socios vocat; arma solliciti capiunt, huc visi tendere ...

Pen. Intelligo. sine, veniant.

Uly. (Malum!)

Pen. Attamen vel cineribus metuo. hospes, monumentum isthic vides, mea Ulyssi dicatum manu. propere suo cineres condamus tumulo.

Uly. Ah! ne hunc tumulum ...

Past. Iam advolat militum manus.

Pen. Heu me! ah, quid fiet illis?

Uly. (Modo abesset filius!)

Scena quinta

Centurio *et qui prius*

- Cent. Regina! num peregrina hic forsan appulsa navis?
- Pen. Quid istud quaeritis?
- Cent. Caecus gliscit in vulgo rumor: nescio quis adventasse fertur.
- Pen. Quis advenit?
- Cent. Quisquis ille sit, certe externos hac luce admitti Antinous vetat.
- Pen. *Ulyssem designans.* Hic nunc appulit.
- Uly. Et tristis quidem ad Reginam nuncius.
- Cent. Quis tu? unde? a quo nuncius?
- Pen. Ah, sacrilegi! dicite, dicite, nec enim clam est: Ulyssem, Ulyssem quaeritis. hunc tyrannus advena externum vocat, hunc timet. hunc meo in Regno - Superi! - admitti vetat; huius iugulum petit Antinous. barbarus, crudelis ille, scelestus, sacrilegus, filii carnifex mei, nefandum domus exitium Regiae!
- Cent. (Heu! iam de filio resciit?)
- Pen. Telemacho nempe iungere Ulyssem cuperet. sacrum illud hastae suffixum caput videre gestiret impius et immani spectaculo, Regii sanguinis avidos, pascere crudelis oculos.
Complectens urnam. Quam bene hic iaces, amate coniux! parricidae saltem non cades manu.
- Cent. (Quae Furiae! anguem in sinu fovet, huic si parcit Antinous.) quidquid sit, Regina, iam vel Ulyssis adventum nosse publicae quietis interest.
- Pen. Impii!
- Uly. *Ad Centurionem.* Non vides, iam nil ab Ulysse metuendum Antinoo, quem nunc ista compositum urna in patrium reporto solum.
- Cent. Verane memoras?
- Pen. Utinam non vera, sacrilege! utinam non inanem pro Ulysse amplecterer pulverem! non impudentia nunc Antinoi audirem iussa, non Leucadio hic cingerer Regina milite, non meo in Regno dominantem et scelere superbum suo sentirem advenam, non moriendum mi foret hodie.
- Cent. Parcius haec, Regina, iras quae creare Antinoo possent, exitium tibi. obsessam milite tenemus Ithacam; favorem non ignoras procerum, assensum populi: non iam Regnum, non Principis fortuna nostri a tua pendet solius manu.
- Pen. Impudens! haec tu in os mihi?
- Cent. Ignosce, Regina! periculi admoneo: haec si odia, nobis perniciosa, ut videris, consilia si mente agitas, ne novum sit, securitatem si suam, si Regnum et gloriam Antinous praferat saluti Penelopes.
- Pen. Tyrannus!

- Cent. Antinoi sponsam coluimus adhuc, dum Leucadiae faveres Principi.
aliam nempe te vidimus antea.
- Pen. Aliam? aliam vidistis vultu forsitan, non certe animo, qui omnes
fovebat Furias, quem depascebant tacita mille in barbarum tyran-
num odia. ah! iam vultus illius pudet, mentem quo fingere tran-
quillam potui, a qua tantum abesse debebat et abfuit animus. heu!
vel credere potuisse quemquam levitatis tantae capacem hunc ani-
mum! non iurata dudum Ulyssi Numina, non vitae anteactae pudor,
non tot annorum constantia, non invictus adhuc tot malis animus
prodere huius cordis arcana cuvis debuit, quidquid vultus si-
mularet aliud? ah! pudet vel iussa obtemperasse lumina, pudet hac
parte vel fallere potuisse Penelopen!
- Tyn. Non me fallebas, Regina: aliud mihi semper, quidquid ageres, di-
ctabat animus.
- Pen. Grates, Tyndare, tibi, qui solus infelicem Penelopes virtutem ex
aequo aestimas; nec par fingendo fuisset animus, nisi spes susten-
tasset illa, fore, ut iamiam spectante populo personam gloriosa po-
nerem, hoc ense superba ad aras fidem meo probarem sanguine et
sic carae fidelis iungerer Ulyssis umbrae.
- Uly. (O si discederent isti!)
- Cent. (An istud agebat, Superi!)
- Ad milites suos.* Ad Principem dum ista refero, vos hic intenti in
omnia, cavete, ne quid effugiat. (haec ni pereat, odium et exitium
forsitan creabit Antinoo.)
- Uly. (His coram si me aperio, memet et filium perdo!)

Scena sexta

Decurio *et qui prius*

- Pen. Non servitutem, non iam longiores infirmum fert moras pectus. ve-
nio, venio amata umbra!
- Uly. (Quid molitur?)
- Pen. O sacri cineres! vos iam Numen, vos ara mihi! vos moriens voco,
vos teneo, vos supremum amplector, vos castum hunc bibite et de-
votum Ulyssi sanguinem.
- Uly. O astra, noli per Superum fidem!
- Illam retinet.*
- Pen. Ah, crudelis!
- Uly. Quin vos ad urbem propere, nunciate Antinoo, sponsae vitam ut
servet sua.

- Dec. Stationem deserere nefas.
- Uly. (Non discedunt, Superi!) Regina!
- Pen. Crudelis!
- Uly. (Loqui si liceret isthic!)
- Pen. Quid tristem hanc vitam retines? moraris gloriam et, sola quae restant mortis solatia mihi. ah, Ulysses! ah, iam fidae illic iungere remur umbrae!
- Uly. Non, Regina! non gloriae, non quieti tuae iniicio moras, probo gloriosum facinus. at, quid agas, vide! insepoltos linques mariti cineres, indigna forsitan diripiendos manu aut furore hostium spargendos ponto? ut, cui inimica pepercit Asia, e patrio electus solo, ludus Ulysses Aquilonibus fiat et praeda fluctibus?
- Pen. Ah! id nolle!
- Uly. Iam, Regina, per me licet, morere.
- Pen. Ah! non, non cari cineres, non ego vos hic praedam relinquam hostibus, non Antinoi nefandi manibus. hospes, condantur hi prius tumulo. saxum hoc remove, isthic quiescant cineres.
- Uly. (O si abessent isti!)
- Dec. Miles, amolire saxum.
- Pen. Absit; ah, sacrilegi! sacra Ulyssis marmora, cavete, quisquam attingat vestrum pollutis his et parricidis manibus.
- Ad Ulyssem.* Tu, hospes, id exterrimum amico Ulyssi ...
- Uly. O quid petis, Regina! (custodes si abessent modo!)
- Pen. Heu me! frater! Tyndare! vos hanc operam ...
- Uly. Cave, Regina! (perit filius!)
- Pen. Quid vetat?
- Uly. Veteri Ulyssis amico crede! (quid dicam?) ne id age, factum quod nolles postea.
- Pen. Quid nolle? agite vos, pius admovete manus.
- Uly. Sicne, Regina, non thure, non mero prius placabis manes, non Patrum more flores antea dabis et suetos honores tumulo? clam, furfum, exsulis instar et fugitivi subeat patriam Ulysses humum?
- Pen. Quam id cuperem! sed quo res loco sint, vides.
- Uly. Persolvi extincto num iusta Regi Antinous vetet?
- Dec. Nunquam vetabit, scio. (gaudebit immo rebus suis tam opportuno funere.)
- Pen. At amice! quam moras omnes metuo! malis usque accedunt mala, iam maiora semper timere didici. suus saltem habeat Ulyssem locus.
- Uly. Infelix Ulysses! cum ignoto sub coelo efflares animam, cineribus saltem ultimos hic honores ab amica sperabas manu et hos tibi tua Penelope negat!
- Pen. Non nego, o Dei! care Ulysses! quando me tibi iungere licebit deinde! quidquid eveniat, crimen hoc ferre nequeo. habebis, quod sperabas moriens, ab hac debitos honores manu. parentur sacra;

ferte coronas, currite, o Virgines. frater! proximo e Iovis fano Sacerdos adsit. liceat aliquando mori!

Scena septima

Centurio, Ulysses, Penelope

- Cent. Cui istud in mentem venisset, Superi!
Ad milites. Vos propere.
- Pen. Num et sacra turbare forsitan ...
- Cent. Non id ago, Regina. vos propere angustos illinc occupate aditus, tumultuantem coercete populum. ostentate arma, vim, terrores, minas spargite. vivum hodie Ulyssem ne sperent sibi.
Pars militum discedit.
- Uly. (Quid iam novae rei?)
- Cent. *Ad Ulyssem.* Tu me sequere.
- Uly. Quo rapis?
- Cent. Audies.
- Pen. Quid hic commeruit? ...
- Cent. Parce dictis, Regina. iam ne ipsum quidem Antinoum per tumultum populi adire licuit mihi.
- Pen. Quid ita?
- Cent. Vix hinc paullum progressus exultantis populi offendi globos. iam de Ulyssis reditu mirum excrevit in plebe fama. res seditionem minatur Antinoo. praevertendum malo, sequere.
- Pen. Ah! iste saltem pietatis poenam ne luat sua.
- Cent. Ne me tene, obsecro; subita res poscit consilia.
Ad Ulyssem. Age.
- Pen. Inhumane!
- Uly. *Ad Centurionem.* Sed mortem meditatur Regina, nemo subveniet?
- Cent. Pereat, quando hostis est Antinoi.
- Uly. (Ah! hinc filium, hinc destituo morituram Penelopen!)
- Cent. Agite vos, trahite vel nolentem.
- Uly. Crudelia Numin! amice, est, quod ab Ulysse.
- Cent. Quid ab Ulysse? commentum reor; sed, quidquid sit, non praeter-eundum.
- Uly. Pauca verba, at soli Reginae, referre liceat!
- Cent. Immo, si quid est, dici volo. attamen non soli. me teste, me arbitro id fiet; propera.
- Uly. (Scelestus!)
- Cent. Regina, hic paucis te vult.

- Pen. Abi, crudelis!
- Cent. *Ad Ulyssem.* Loquere.
- Uly. (O Superi! quid hoc praesente loquar, quod iuvet Penelopen?)
- Cent. Cunctaris?
- Ad milites.* Ducite ergo.
- Uly. (Subit aliud.) dicam, amice!
- Cent. In pauca confer, res moras non patiuntur nostrae.
- Uly. Tuam decrevisti mortem, Regina!
- Pen. Et quis vetabit?
- Uly. Nemo, Regina; sed ferrum abiice, mitiorem tibi propino mortem.
- Pen. Mitiorem?
- Uly. En, veneno medicatus liquor. inobservatum hoc primo per venas serpit toxicum, tum sensim extinguit animam.
- Pen. Sensim extinguit animam? grates, amice! lentum hoc nimis, festino mori.
- Cent. (O si acciperet!)
- Uly. Respus ab Ulysse donum?
- Pen. Ab Ulysse?
- Uly. An gemmam noscis, quam aurum ambit et incubantis ornat imago sphyngis?
- Pen. Ah! ...
- Cent. (Et capitali sic hoste liberaret Antinoum et invidia patratae caedis.)
- Pen. (Illa ipsa est.) unde haec tibi? hanc memini, ut erat, refertam odo-ribus, de rebus meis ut esset aliquid, discedens abstulit Ulysses mihi.
- Uly. Et retinuit, dum viveret. ingruentibus tandem malis praesenti impedit toxicu, ut, si res posceret, sine sanguine, nimio subduceret se fatorum ponderi. at postremo sublatus morbo commisit mihi tradendam Penelope.
- Pen. Misit ille, nec dederas antea?
- Uly. Id vetuit, tradi nolebat antea, quam extremis cernerem oppressam malis. extrema nunc instant tibi. si lubet, utere.
- Pen. Si lubet? ah, quidni lubeat?
- Cent. (Salvi sumus!)
- Pen. Quod suavius mortis genus ac illud, quod a tam cara venit paratum manu? o si digna rependere tibi, hospes, queam officii proemia! quae solae mi sunt reliquae, impendam preces.
- Ad Centurionem et milites.* Vos, si fas est, obtestor unice, huic saltem ne noceat fuisse pium ...
- Cent. *Ad Ulyssem.* Id totum est, quod volebas?
- Uly. Totum.
- Pen. Nec me audit barbarus!
- Uly. Iam duc, quo collibitum.
- Cent. *Ad Reginam.* Ignosce.
- Uly. Vale Regina.
- Pen. *Ad Centurionem.* Ah, quid fiet misero?

Cent. Antinoi quod poscet salus. huius fortunae in mea sunt manu, tibi aut vivere aut mori liberum. nec potestatem negare ausim tibi abrumpendi vitam, tam infensam Antinoo.

Abit cum Ulysse et militibus.

Scena octava

Penelope

Pen. Barbare! hanc negare non audes? hanc solam relinquis moriendi potestatem? inimici Dei! hoc unum e Regia mihi fortuna super, ut mori liceat. misera potestas! hanc Ithacae et indignus confert mihi et servus Antinoi! sed vel hoc muneric instar reproto; dolere desinam. dira iam facessant instrumenta leti; dabit supremum mariti donum salutem Penelope. grates, amate coniux! quod, qua iungi me velles tibi, commonstres viam, qua tibi vel in morte placeam. bibam lubens, bibam hos latices; non iam faedata sanguine, sed, qualem me cupis, incruenta tibi occurram umbra. o utinam me gratam praestare moritura queam infelici hospiti, cuius labore, periculis, fide tam carum mihi obvenit pignus! sed et hoc negatis, irati Dei! an adeo nil reliqui facitis, quo exerceatis Penelopes vel morientis animum? o si adessent sacra! quam lentum mihi quodvis temporis iam punctum fluit? quam exire hic gestit spiritus, graviora semper in vita metuens? nec expertus aliud, quam infinitos cumulari novis dolores doloribus.

Scena nona

<Penelope, Iphicrates, Tyndarus>

Redeunt Iphicrates et Tyndarus cum Sacerdote et Virginibus tripodem, flores etc. etc. adferentibus.

Iph. Habes hic, soror, obsequentes ...

Pen. *E sede exsiliens.* Adsunt, ah! iam aeterna tandem Penelope instat quies! iam vos effugiam paullo post, infesta Numina!

Tyn. Heu, Regina! ubi hospes?

Pen. Ne quaere.

- Tyn. O Dei! numquid impendet? ...
- Pen. Infelix! pro proemio, quod - heu! - ab ista promeritus manu, saevo
abreptus milite, supplicia forsan et mortem feret ...
- Tyn. Heu me! vale Regina!
- Pen. Tyndare! fuge potius.
- Tyn. Nequeo, Regina.
- Abit celerrime.*
- Pen. Quo et hic se agit praecipitem? o stellae! contagione sua et amicis
quoque infortunata exitium adfert Ulyssis domus.
- Ad sedem suam se recipit.*

Actus quintus

Penelope sedet e regione novi sepulcri, urna ante se posita, quam assiduo amplectitur et lacrimis irrigat. Sacerdos cum suis ignem et cetera ad sacrificium apparat. Virgines aliae Reginam solantur, aliae thura et flores gestant. ad sepulcrum stat moestus Iphi-crates.

Chorus

- Sacerdos Inlyti Regum placidique manes,
 Seu leves circum hic volitatis umbrae
 Seu tenebrosis vacui sub antris
 Ductis aevum,
 Sive supremas habitatis oras,
 Sede ubi digna meritos recepit
 Astra vos inter numerans Olympus,
 Este vocati!
 Regia, en, coniux lacrimis operta
 O queis pectus tenerum fatigat
 Planctibus! quam arctis pia stringit ulnis
 Flebile pignus!
 Fonte inexhausto rigat - heu! - tot annis
 Frustra sperati cineres Ulyssis,
 Triste quod munus peregrina tandem
 Misit arena.
 Este placati facilesque Divi!
 Regiis carum manibus maritum
 Condet hic uxor misera et profundo
 Mersa dolore.
- Omnes Regina, tempera iustos dolores.
 Non flectunt lacrimae mortis furores.
- Duae Virgines Placari nescia,
 Nil est, quod audiat;
 Divellit omnia,
 Mors saeva, spoliat
 Nullo discrimine
 Parente filios
 Et Regna Principe,
 Amicis socios
 Et sponsas coniuge.

Duae Virgines *Altera flores, altera odores spargens.*
 Spargite flores,
 Fundite odores,
 Qua petet patrium
 Ulysses tumulum.

Chorus

Alia Virgo	Suam quis accuset sortem, Suam quis miretur mortem, Omnis si potestas, Omnis si maiestas, Si fortuna Regia Hac abibit semita.
Omnes	Regina, tempera <i>etc.</i>
Sacerdos	<i>Dum Virgines tumulum coronis cingunt.</i> Funesti tumuli, Tropaea mortis, Extremi termini Humanae sortis! His nostris merito superbi donis Effertis capita cincti coronis. Non vos effugiunt, Qui urbes subruunt. Quos nullae hominum minae, Quos nullae Regnorum ruinae, Quos nec acies nec castra, Quos nec terruerunt astra, Quorum orbis audit leges, Per vos coërcentur Reges.
Omnes	Regina, tempera <i>etc.</i>
Virgo	<i>Cum thuribulis</i> Quae manu pura Cremamus thura, Surgite levibus Hinc voluminibus! Astris admota Reginae vota Ferte Numinibus! Dum suo vos flamma consumit ardore, Tum vita vivitis nobiliore; Tum vos diffunditis, Odorem spargitis,

	Completis aethera, Pulsatis sidera, Placatis Numina.
Sacerdos	Sic et post funera Maior effulgeat, Sic petat sidera, Sic late vigeat; Impleat omnia Ulyssis gloria!
Omnes	Regina, tempera <i>etc.</i>

Scena prima

Sacerdos, Penelope, Iphicrates

Reginae in manus dat pateram.

Sac. Regina, sacro nunc ritu libamina inferni sibi deposcunt Dei.

Aspergit ignem.

Pen. Placati este praesides noctis aeternae Dei et imo silentum Regno contenta Numina!

Versus sepulcrum.

Et vobis libo, Ithacae Regum angusti manes! vos inter infelici petitur nepoti locus.

Solum spargit libamentis.

Terra meis dudum rigata lacrimis, liquorem accipe, casta profusum manu. sic tuo recepta sinu aeternum - heu! - fac, leviter ossa Ulyssis cubent.

Sac. *Ad Reginam.* Iam ore delibandum aliquid.

Pen. Memini. verum - o Hierocles! - insolitus me subit languor: salubri mihi liquore antea sacros liceat temperare latices. (quam recte ignorant isti, quid salutis hac lateat gemma, importuna morti ne obturbent cura.)

Liquorem ab Ulysse acceptum infundit paterae.

Sacra mihi semper Ulyssis umbra, huc ades! tuis, en, mandatis audiens funesto, at grato tamen iam utar dono. qualem in te Penelope habueris adhuc, fatale hoc temporis punctum probet.

Pateram ori admovens tremore corripitur.

Ah! me miseram! quis tremor artus ... cor palpitat. ... an vicinae conspectus mortis ...

Sac. Regina, si subitus libare non sinit languor, ignoscent manes ...

Pen. Non, Hierocles; libabo, ne dubita. recedite; tantillam iam date moram, respirem sola: redibit animus relictus sibi.

Sac. (Quam dolendae tristis Reginae vices!)

Pen. Heu, quanto fortiores sumus, dum e longinquo vocamus fata! at quando mors saeva instat, heu me! ... ignoscite, sacri Ulyssis cineres! non, non recuso mortem. etiam viros percellunt ultima: quid tenerum agat mulieris pectus? ... ita est, non clarum coeli iubar, non te, lux, aspiciam post hac! peribitis omnes nunc una mihi, quos per aetatem vivere licuisset, anni; ante tempus pereundum! o mors! quam felicibus acerba venies, si hoc miserum cor tua concutere praesentia potest? num laborum hunc finem, hoc virtutis proemium sperare potui, Numina? attamen non obluctor, obsequendum fatis denique; fatalis me vocat cymba: abeo - heu! -, illuc nunc abeo, unde non pedem unquam referre dabitur. sed ivit Ulysses, ivit filius: quid mori times, infelix Penelope? finies vitam, at etiam dolores.

Surgit cum patera in manu.

Vos intima cordium qui sensa nostis, aeterni Dei, hunc intamina-
tum adhuc vidistis animum.

Hic Iphicrates propius Reginam observat.

Immunis si labet vita, si fides Ulyssi praestita, integra in vos si pie-
tas mihi serenos mereri nunquam potuere dies, miserum id saltem
mereantur proemium, per vos ut liceat attingere aliquando tandem
malorum terminum.

Bibit.

Iph. Heu, soror! tuis nescio quid supremis verbis, quod suspicor, inest.

Pen. Nec te fallit animus: en, lentum intra viscera recepi toxicum.

Iph. O me infelicem! haec spectare potestis, Numina?

Pen. Frater, iam inanes querelae caderent, dum lente virus sese in venas
penetrat, antequam letale gelu adstringat membra, supremum Ulys-
si officium istae impendant manus.

*Hic Sacerdos cum suis monumentum aperit. Penelope, sumpta in manus urna, eo pro-
cedit.*

Chorus

Suam quis accuset sortem,
etc. etc. ut supra.

Scena secunda

Telemachus et qui prius

- Pen. *In aditu monumenti territa retro cedit.*
 Quid hoc esse dicam! heu mihi! Sacerdos! inter monumenti latebras ...
- Sac. Quid, Regina?
- Pen. Motus quidam, humana species, ensis fulgor, spectrum; nescio.
- Sac. Vana haec ludibria.
- Pen. Vestram pacem imploro, inferi!
- Sac. Quid hac in specu? ...
- Ad monumenti ostium accedens ipse percellitur.*
- Heu!
- Tel. *Cum gladio prorumpens et ad defensionem paratus.*
 Quis me vult?
- Pen. *Oculis ob timorem aversis.*
 Heu! quae vox ista?
- Tel. Amici an hostes referastis latebras?
- Pen. Ah! obrigesco, haec vox mei olim Telemachi.
- Tel. Quid, matrem hic video?
- Pen. O cara filii exticti umbra, ne matrem territa!
- Tel. Superi! en, ensem abiicio: ne metue.
- Pen. Ignosce, fili, imbelli feminae.
- Tel. Non ego ...
- Pen. Ah, Telemache! venio, venio, iam te sequor ad inferos. Acherontis ad ripam mox umbra lubens amplectar umbram. nunc ignosce.
- Tel. Vos matri timorem adimite. trepidatis omnes? tu, Sacerdos, salvum me vides nec vanam Telemachi umbram.
- Sac. (*Ad Telemachum. Paullum te remove.*)
 Pone metum, Regina.
- Pen. Non, non, Telemache! da veniam matri, non te queam mortalibus oculis ...
- Sac. Hierocles sum, Regina!
- Pen. Tune?
- Sac. Iam evanuit Telemachi umbra.
- Pen. *Timide attollit oculos.*
 Evanuit? ah, quorsum? o miseram! quam trepidum genus mulieres sumus! nec ausa filium alloqui, ignosce, amice spiritus, a me infelicem repuli; o si adasset! quam reluctante natura etiam ...
- Liberius iam circumspiciens videt Telemachum et novo terrore succutitur.*
- Heu me! illic appetat iterum. o fili, quam te cuperem!
- Sac. *Ad Telemachum accedere volentem. Morare.*

- Ad Reginam.* Non, Regina, non umbra est, quod videras; vivus, salvus, sospes est Telemachus.
- Pen. Quid ais! vivus e ferali monumento ut prodeat filius?
- Sac. Sua nimirum constat oraculis fides. en, quod pronunciavere Dei: in tumulo salus.
- Pen. De Telemacho id credam, voluisse Numen?
- Sac. Hic tumulus in Telemacho stirpis Regiae germen servavit unicum, spem Ithacae, tibi filium, tot venturos Patriae servavit Reges. habes, quae fuerit in tumulo salus. sed iam oculis crede, Regina, tuis. en, manum viventis Iphicrates tenet.
- Pen. Iphicrates?
- Eo respiciens, terretur iterum.*
- Ah!
- Sac. En, amplectitur amicum pectus.
- Pen. *Timide.* Num ex vero?
- Tel. *Ad Reginam accedens.* Fidem habe, genitrix amata.
- Pen. Tune salvus, o fili?
- Tel. Ne dubita: vivo, sentio; maternam osculo venerari liceat dexteram.
- Pen. O fili! non tu insidiis Antinoi ...
- Tel. Petitus quidem, at non oppressus.
- Pen. In quos me terrores Tyndarus ...
- Tel. Extra noxiam Tyndarus, delusus ipse meam putabat caedem, quae ...
- Pen. *Cum repantino clamore et desperatione.* Care Telemache! nunc infelix, nunc demum sum perdita; hoc est, quod luctus exsuperat omnes.
- Tel. Heu!
- Pen. Morior, dum te reperio. quid egi infelix! infaustum toxicum! nunc vivendum mi foret maxime, te cum teneo, cum te amplector, spes dudum meas, delicias, solamen afflictae matris!
- Tel. Vives, confido.
- Pen. Ah! non, fili! ad funus venisti matris infortunatae!
- Tel. Meliora spero.
- Pen. Non est, quod speres. en, me inconsultam! en, nunc hausi ferale poculum.
- Tel. Heu me!
- Pen. Id tamen gaudeo: pro ferro, quod paraveram, segnior haec oblata mihi moriendi via; te saltem nunc video. sed heu! non videbo post-hac. meos iam clades oculos - fili! - et mariti cineribus istos adiunges cineres.
- Tel. Cuius mariti?
- Pen. Quaeris? cuius mariti? o fili! num et tu iniurius mihi? quem ego maritum appellem? o Dei!
- Tel. Ulyssem ais?

- Pen. Heu me! quem alium maritum dicat Penelope? quem nisi Ulyssem amavit, quem suspiravit unquam? non tu tot lacrimarum testis ipse, o fili?
- Tel. Id ipsum est, quod demiror, parentem abesse isthic; oculis undique Ulyssem quaero. quo se recepit, obsecro?
- Pen. En, fili: hic miser Ulysses!
- Tel. Ludis me, genitrix.
- Pen. Non ludo; ita est, fili: hac Ulysses, hac genitor tuus concluditur urna.
- Tel. Ah; qui, obtestor, hic sit Ulysses, quem haud dudum vivum, valentem vidi?
- Pen. Ulyssem te vidisse ais?
- Tel. Vidi, complexus sum; ipse, me ut servaret, suo conclusit tumulo. quid vis amplius?
- Pen. Superi, num fefellisset hospes iterum?
- Tel. Fefellit certe, quisquis extinctum retulit tibi.
- Pen. O quam lubens et hoc ignoscerem hospiti! at teneo literas ipsius exaratas manu; signum, dicta hospitis, consentiebant omnia.

Scena tertia

Tyndarus *et qui prius*

- Tyn. Vive, Regina! Ulyssem habet Ithaca.
- Pen. Et tu id affirmas, Tyndare?
- Tyn. Quidni affirmem? quando ab illo adsum laetus nuncius.
- Tel. Habes, quod dixeram, genitrix.
- Pen. Ah, amice! multa sunt, quae dubitem, de multis quaerendum foret; sed vereor, ut tempus suppeditat.
- Tyn. Suppetet tempus, Regina.
- Pen. Nescis, Tyndare! nescis! si adest Ulysses, fac, illum conveniam subito, antequam letale virus ...
- Tyn. Scio: sumpsisse te putas toxicum ...
- Pen. Utinam non! me miseram! id est, quod me perdit. sed age, vereor, ne iam ...
- Tyn. Toxicum, quod tu putas ...
- Pen. Ah, care Tyndare! ne tempus trahe. moram omnem metuo.
- Tyn. Nil oberunt morae.
- Pen. O me infelicem! et reduce et vicino Ulysse, nec viso tamen, peribit Penelope!
- Tyn. Per Deos te obtestor! non est toxicum, quod tu putas. medicamen est innoxium, subitis servatum usibus. callidum id Ulyssis com-

- mentum fuit, ut, cum mortis consilium eripi non posset tibi, vel nolens viveres.
- Pen. O si vera dices! o fili, si haec forent!
- Tyn. Sunt haec, ut praedico. id Rex veritus, vel existimati horror toxicí Penelope ne officiat suaे, propere nunciare me voluit tibi.
- Pen. Tyndare! per omnes te Deos oro, ne vano me ducas gaudio.
- Tyn. Non vanum esse, nota nunc mea persuadeat fides, post comproba-bit tempus.
- Pen. O stellae! quod superest vitae, Ulyssis in sinu beata peragam? so-spite fruar filio? hoc nimium est; vix audeo sperare tantum gaudi-um, solis adhuc assueta malis.
- Tyn. Non spera, pro certo habe: Deos tibi testor omnes.
- Pen. Sed quid literas misit, quid urnam?
- Tyn. Obsecro, ne te excrucia. conficta haec omnia, tutior ille tot inter ut insidias lateret isthic.
- Pen. At mihi saltem aperuisset nuncius seu hospes ista.
- Tyn. Quid vis, si nuncius, si hospes ipse Ulysses fuit?
- Pen. Ille Ulysses est?
- Tyn. Ille. o quot lacrimis silentium hoc stetit mihi! sed obtemperandum Regis mandato fuit.
- Pen. Quam trepido! is in Antinoi manibus ...
- Tyn. Non illius ...
- Pen. Hinc me spectante miserum abripuit Antinoi miles.
- Tyn. Id ex te novi; insecurus sum e vestigio, observavi omnia. eum hinc in populi conspectum Centurio rapuit.
- Pen. Ut conficeretur illic? crudelis!
- Tyn. Non ut conficeretur.
- Pen. Quid igitur?
- Tyn. De morte Ulyssis ut testaretur populo; quid sciret, quid ipse viderit, proferret palam. sic reddituri unquam Ulyssis spem tumultuanti o-mnem adimeret plebi, pacaret motus.
- Pen. Quid ille?
- Tyn. Ut solet, Regina, non sibi Ulysses defuit. promptam tribuno addixit operam.
- Pen. Et praestitit?
- Tyn. Praestitit: mire ad moestitiam composuit vultum et, quo valet elo-quio, Ulyssis mortem, leti genus, suprema verba confluenti expo-suit turbae.
- Tel. Haec de se ipso parens narravit meus?
- Tyn. De se ipso; immo argumenta protulit, Regis ensem et gemmam, te-stamento tanquam relicta sibi. tum flet, ingemiscit, narrat iterum. haesi attonitus: vera credidisses omnia. proximis cadebant lacri-miae, remotiores, ut fit, per ora traditum brevi attingit triste nunci-um. iam remittere laetantium voces, late silentium et horror succe-dere, tumultus ponere.
- Pen. Me miseram! sic Antinoi consuluit rebus?

- Tyn. Consuluisse ais? audi, quod restat, et vel in hoc Ulyssem noscere: milites, successu laeti, grates narranti referunt, spondent proemia, minus observant hominem; cum liberior ille et velut ultiro facturus fidem, altius se turbae ingerit, me illi iungo nec posthac Regis destitui latus. opportunum tandem medios inter cives nactus locum vultum retegit, signa profert, multis noscitur. isti Regem adesse clamant, vicini audiunt, iam non lente, sed torrentis, sed fulminis instar traduntur voces. non gaudium, sed insania fuit exsultantis populi; circum nos undique fulgentes gladii, gratulantium voces, in Antinoum minae. quis omni repente commoto populo attoniti militis pavor et fuga, coniicies facile. tu prima Regis liberi fuisti cura; de veneno, quod dixi, committit mihi. subiungit: ‘Tyndare, festina, solare Penelopen, filium serva, cetera fortunae mando.’
- Pen. Ah! fortunae! non eam expertus est fortunam adhuc, ut illi tuto credere Ulysses possit.
- Tel. Tyndare! eo me deduc.
- Pen. Quorsum, Telemache?
- Tel. Ad parentem.
- Pen. Heu!
- Tel. Eius me stipare latus condecet.
- Pen. Ah! non audis plebis fidem? tot armati alioquin Regem tuentur cives.
- Tel. Sed nondum filius. pudet.
- Pen. Telemache! si quid preces matris in filium possunt, ne me destitue. vix repertus mihi, iam te in medios enses, o Dei! ... vis matris renovare lacrimas? sat lacrimarum effudi adhuc.
- Tel. At nondum extra periculum parens.
- Pen. Id ipsum est, quod angit. illius periculum non fero, iam tuo etiam discrimine geminatum perferam? Tyndare! tu ad Ulyssem festina, admone, obsecra, nequid temere; meminerit, sibi esse filium et teneram coniugem.
- Tyn. *Abiturus.* En, duo Antinoi, ut videntur, fugitiivi milites; ex his, dum eo propero, intelliges cetera.
- Pen. Opportune adsunt: audire gestio. Di, facite, miserum hoc cor quod sublevet, felicior audiam!

Scena quarta

Milites duo *et qui prius, praeter Tyndarum*

- Mil. Heu! quo delapsi sumus? Regina, veniam, pacem, salutem poscimus.

- Pen. Nil a me vobis ...
 Mil. Inermes vide: abiecimus arma.
 Pen. Pacem, salutem spondeo. quiescite, dicite modo, quo res civiles loco?
 Mil. Dicam, Regina: is, quem hinc abduximus, hospes, vidisses, quo deinde vultu ...
 Pen. Quid primum egerit, scio. de Ulyssis morte retulit.
 Mil. Rem tenes.
 Pen. Tum seiunctus a vobis se Regem dixit.
 Mil. Num illic Regem se dixerit, ignoro. concitasse in nos populum id palam est.
 Pen. Vos deinde in fugam versi?
 Mil. Id quoque. sed in tempore occurrit Antinous; rem intelligit, ut potuit, instaurat aciem. furore amens ordines perrumpit civium, hominem illum sibi dari postulat. nec difficile fuit militi, peregrino e cultu discernere civium in turba hospitem. ostendit miles Antinoo, ille abreptus aestu in hospitem vertitur.
 Pen. Heu!
 Mil. Invadit miserum, hic obsistit. primo, quo concurrunt, impetu mutuis confixi vulneribus plangunt humum, ira uterque spumans complectitur hostem, suo se in cruento volant rabidi, dum post brevem, at feralem luctam cum sanguine furentem evomerent animam.
Videns Reginam cohorrescere.
 Sed quid, Regina?
 Pen. *Vehementer.* Num me infeliciorem sol vedit unquam!
 Mil. Immo felix es, Regina: mors Antinoi tuis peperit victoriam civibus. Leucadiae miles suo destitutus capite, in una sibi fuga salutem quaerit, pars naves repetit, pars in latebras, nos huc fortuna ...
 Pen. Ah! periisti Ulysses et indigna periisti Antinoi manu!
 Mil. Non, Regina!
 Pen. Quis ergo?
 Mil. Hospes ille.
 Pen. Hic, qui aderat?
 Mil. Ille.
 Pen. Ille de Ulyssis morte nuncius?
 Mil. Ille.
 Pen. Telemache! frater! properemus: fors superest aliquid, quod excipiam de morientis mariti spiritu.

Scena quinta

Ulysses, Tyndarus *et qui prius*

- Uly. Nondum morientis excipies spiritum, Penelope.
 Pen. Quid video?
 Tel. Salvum te gaudeo, genitor amate.
 Pen. *Attonita in alterum theatri latus recedit.*
 Num idem iste?
 Tel. Quid haeres? non parentem amplecteris, genitrix?
 Pen. Stupet animus, vox haeret; non loqui, non quaerere - Superi! - nec intueri possum.
 Uly. Nihil iam vereare.
 Pen. Recede!
Eum manu removens.
 Ne me attigeris!
 Uly. Hem!
 Pen. Numina! credamne? iam redisse audii, iam in ferali compositum accepi urna, iam latere in hospite, iam Regem tenere Ithacam, mox occubuisse iterum; iam rursum redeat integer?
 Uly. Intelligere mihi videor, quod te ...
 Pen. Ignosce, quisquis es, et audi! viginti, Ulysses quos abest, annos vitam morte acerbiorem exigo vidua, sola, misera, feralibus vexata atque adeo oppressa malis; at nullius tamen viri attacta manu. quem luctuoso illo in litore mariti me olim sinu abstraxit fatum, Ulyssi me talem servavi adhuc, talem reperiat uxorem redux; aut si spes fallit, me talem accipiat tumulus. infelicem Penelopen reddere potuerunt fata, non Ulyssis immemorem. omnem infausti Regis fortunam everterunt iniqua sidera. hac una felix parte est eritque semper. careat Patria, careat Ulysses Ithaca: hoc in animo vel absens regnat et regnabit usque vel invitis Superis. hac parte intaminata floret Ulyssis gloria. si Ulysses meus es, quod - heu! - cupio, quod sperare me iubet animus, credere tamen mens toties decepta metuit; qui enim, tam saevos semper experta Deos, nunc tam repente mites, tam in me beanda profusos putem? si Ulysses meus es, fac, certum reddas hunc animum antea; frustrata toties, cetera fortunae tristis ludibria fero. verum in viri amplexu, Penelopes ut vel imprudens aberret manus, hoc vel cogitando deficit animus, hoc non patiemini utique vel crudelia in me et Ulyssem Numina!
 Uly. Superi! lacrimas non teneo, non iam infelix Ulysses, virtutis possessio tantae cui salva contigit.
 Tel. Genitor, ignosce matri, quam, ut video ...

Uly. Ignoscam, fili! non fidei admiratio, non ubertas gaudii, non grati vis amoris hoc cor ...

Pen. Ah! non desunt illo in vultu Ulyssis vestigia mei! quam vellem! ...

Tel. *Ad Ulyssem.* Ad tot terrores ultimus accessit iste caedis in pugna tuae feralis nuncius.

Uly. Ne mirere. extincto Antinoo, levi ego sauciatus vulnere in meorum me reieci manus, simulavi mortem, ut hostium in me unum intentos alio averterem gladios. res cessit e sententia. dum me tanquam extinctum negligunt, mihi percurrere agmina, hortari meos impune licuit.

Caput detegens, se Reginae proprius spectandum offert.

Iam, Penelope, Ulyssis olim vultus in mentem revoca; non enim calamitas, non anni, non Deorum ira abolevit omnem Ulyssis speciem.

Pen. Aeterni Dei! iam vix me contineo.

Uly. Illum tibi vultum in mentem revoca, a quo in litore pendebas olim suffusa lacrimis, cum Graia Ulyssem vocaret classis; vultum illum, quem turgentibus prosequere oculis, hac suprema quem dimisisti voce: ‘tu primus fuisti, tu ultimus eris quoque Penelopes amor.’

Pen. *Repente et vehementer exclamando.*

Magne Iupiter! vivitis adhuc iusti in Olympo Dei! hic ille vultus est, haec verba mea. Ulysses!

Animo linquitur, succurrit Ulysses cum filio.

Uly. Me miserum! grates immortales tibi, amata Penelope! grates pro eo, quod tunc recepisti mihi, quod usque tot longas inter aerumnas praestitisti fortiter. o feliciore digna marito!

Pen. Emorior!

Iacet in manibus Ulyssis et Telemachi, qui eam sensim in saxo collocant.

Uly. Ah, mea lux! ne me in exitium trahe!

Pen. Ulyssem, Telemachum teneo, ah! ...

Uly. Animum recipe.

Pen. Ah! ... vis gaudii maior, ... capere ... quam queat animus.

Tel. Nunc lacrimaris, genitrix?

Pen. Quid agam, fili! ... cum vos complector, ... quos rebar aeternum periisse mihi?

Tyn. O ad lacrimas natam Penelopen, cui vel desideratum gaudium novos torrentes exprimit!

Uly. Age; omnium nostrum labefactas animos.

Pen. Da veniam, Ulysses! nihil mediocre me ferre voluerunt Dei; extrema tuli, id norunt Numina. nunc, quidquid carum in vita, eodem temporis puncto redit: maritus, filius! quid dicam? quid agam? heu, quam difficile, summis e doloribus ad summa transferre gaudia inassuetum animum! care Ulysses! quot desideriis, quot votis istud suspiravi tempus! quam nunc hoc cor te, ut Numen de coelo lap-

sum - heu! desunt miserae mihi verba, queis dicam, queis expri-
mam, quod volo, quod sentio. ... heu me! amate coniux! patere, ut,
cum vox deficiat, queis te absentem tot annis flevi, nunc in praes-
entis effusae sinum solatia mea loquantur lacrimae.

In Ulyssis sinum delabitur.

Monitum

Si cui forte Tragoediae huius Chori, non ad veteris, immo nec ad recentioris quidem Poeseos normam satis exacti, minus arrideant, rationem, qua omitti possint, hic subiungendam existimavi.

Post Actum primum

In Choro Virginum omittendo difficultas nulla est, ut patet.

Post Actum secundum

Ut Furiarum Ulyssem exagitantium Chorus omittatur et vacuum omnino theatrum relinquatur, amovendus est Ulysses hac ratione: sub finem Scenae ultimae Actus secundi, ubi Ulysses dicit ‘an iam fugit amatus spiritus? dolos, commenta exprobrat, queis mortem accersivi miserae.’, omissis reliquis haec addat Ulysses:

Quid me circumsistitis, minaces Furiae? vestras nil metuo minas; nil angues hosce, nil faces vereor. perrumpam, quidquid vestrae intentent irae. quo properas, dilecta umbra? habes Ulyssem tuum; te consequar, vel invitis inferis.

Tum velut delirans et umbram Penelopes insequens discedit.

Initio Actus tertii Ulysses alio loco, quam intraverat, velut ab errore redux et iam pacatior sic Scenam primam inchoet:

Quo caeco ferebar gradu? per stirpes circum et invia insanus me dolor rapit et, vanis qui mentem simulacris terret, agitatus animus.

... ah! ...

Hic in proximo saxo tanquam fessus considerat.

Sic ludus vobis sumus, iniqui Superi! ... et fors inanem dum umbram persequor, illa stygias dudum tranavit infelix undas! ... heu, quis aestus! nondum meis satiata malis, iniqua Venus! nondum Aeneae etc. etc.

Post Actum tertium

Nullum hic Chorum posui, sed Ulyssem in theatro scribentem reliqui. si cui forte insolens videatur, a persona palam scribendo intervallum expleri, fin-

gamus Ulyssem intra scenam epistolam eam scribere. ut tamen id ipsum antea significetur, sub finem Scenae ultimae Actus tertii, ubi Tyndarus dicit ‘Propero’, reponat Ulysses:

- Tyn. Heus! mihi in rem meam exaranda literae.
 Tyn. Recte.
 Uly. Ne quis sribentem observet arbiter, vicinum, quem isthic vides, inter sepulcra secessum petam.
 Tyn. Ut voles.
 Uly. Tu Penelopen in via tantisper retine.
 Tyn. Faxo.
 Uly. At ne me illi aperias, vide *etc. etc.*

Post Actum quartum

Quidquid initio Actus quinti in exsequiis Chorus concinit, expungatur. verum, cum omisso Choro aliud inter duos postremos Actus relinquendum sit intervallum, amovenda est Penelope cum suis; quod fiet, si Actus quarti Scena nona haec ponatur:

Scena nona

Penelope, Iphicrates, *deinde* Tyndarus

- Iph. Habes hic, soror, obsequentes; iam Sacerdos aderit. non tu interea ad fontem Proserpinae, sepulcris proximo qui luco manat? ...
 Pen. Quid illic?
 Iph. Diis manibus libare nefas, inde ni sacri sint hausti latices et piis illic placata precibus Eumenidum verenda Numina.
 Pen. Sit igitur.
 Tyn. *Tripodem aut aliud gestans.* En, iussu tuo ... sed heu! Regina, ubi hospes?
 Pen. Ne quaere *etc. etc.*

Absoluta hac Scena ad fontem Proserpinae cum fratre discedit Regina.

Actus quintus

Penelope a fonte Proserpinae redux e regione novi sepulcri consideret, urna ante se posita, quam lacrimis irrigat. Sacerdos cum suis ignem et cetera ad sacrificium apparat. Virgines allatis floribus monumentum exornant. Actus incipiat ab invocatione Sacerdotis:

Inclyti Regum placidique manes
etc. etc. ut supra in Choro ultimo.

Absoluta invocatione et omissa Choro reliquo prosequatur Sacerdos Scenam primam Actus quinti:

Regina! sacro nunc ritu libamina inferni sibi deposcunt Dei *etc. etc.*

Hae sunt mutationes, quas fieri hic posse censeo, quin actionum nexus dis-solvatur. num etiam vis affectuum eadem remaneat, alii iudicent; ego id af-firmare non ausim. utut sit, Choros hos tamen expungere mallem, quam emendare; cuius seu inertiae seu taedii veniam a Lectoris humanitate im-pense flagito.

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt der letzte Druck von 1764, der nach Ausweis des COPAC mit dem Erstdruck von 1761 identisch ist („[...] same printing as separate editions 1761, but with t.p. replaced by half titles“); in der Ausgabe von 1757 ist die ‘Penelope’ nicht enthalten.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j* sowie *car-* statt *char-*, *iamiam* statt *iam iam*, *immo* statt *imo*, *nuncii* statt *nuntii*, *proemia* statt *praemia*, *promptam* statt *promtam*, *quidni* statt *quid ni*, *sepulcr-* statt *sepulchr-*, *utut* statt *ut ut*. An Einzelstellen zusätzlich groß geschrieben wurde: *Maiorum*, *Pater*, *Patria*, *Sacerdos* sowie *Act-*, *Chor-*, *Furi-*, *Reg-*, *Virg-*; klein dagegen: *barbarus*, *domus*, *iuvenis*, *parentem*, *proceres*, *tyrannus*. Gelegentlich wurde die Nennung der Darsteller geordnet (3,6 statt TU, 4,2 TU) bzw. ergänzt (2,1, 4,9); ebenfalls ergänzt wurden im Darstellerverzeichnis *Centurio*, *Decurio*. Als Anmerkungen gegebene Regieanweisungen wurden im Text gedruckt, so auch 5,5 die nicht markierte Fußnote *Eum manu ...* Im ‘Monitum’ wurde *Actum primum/secundum* statt *primum/secundum Actum* gesetzt.

Darst.	<i>Penelopes</i> statt <i>Penepoles</i>
1,3	<i>oppressit</i> statt <i>oppressi</i> .
2,2	<i>nescio quid ... latet</i> (evtl. <i>nescio, ... lateat</i>) statt <i>nescio, quid ... latet</i>
n2,8	<i>iussis Veneris</i> statt <i>iussit Veneris</i>
3,2	<i>annorum miseret</i> statt <i>canorum m feret</i>
3,2	<i>primorum</i> statt <i>primornm</i>
4,6	<i>linques</i> statt <i>lingues</i>

Im Text eingeschobene Ausrufe wurden durch ‘Gedankenstriche’ abgesetzt, vereinzelt wurden ‘Anführungszeichen’ ergänzt. Unnötige ‘Kommata’ vor *et*, *atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt, Vokative durch zusätzliche ‘Kommata’ abgesetzt. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktions sei hier jedoch verzichtet.